# ZACHARIAE SCHOLASTICI
## DIALOGVS AMMONIVS,
*Quòd mundus non sit Deo coæternus,*
*à Gentiano Herueto Aurelio*
*latinè uersus.*





VENETIIS . M D XLVI.

97

CLARISSIMO ET ILLVSTRISS. VIRO DIDACHO HVRTADO MENDOZAE CÆSARIS AD VENETOS LEGATO, GENTIANVS HERVETVS S. D. P.



VM bonarum literarum & disciplinarum omniũ studiosissimus Marcellus Ceruinus, Cardinalis ampliss. & Tridentini Concilij Legatus, pulcherrimos aliquot Libros ex tua copiosissima & instructissima bibliotheca ad se allatos, mihi legendos obtulisset, incidi in hunc Zachariæ Scholastici Christiani Libellum, qui pugnat aduersus Ammonium, mundum non esse Deo coæternum. In quo legendo cum maximam uoluptatem cœpissem, dignumq; qui in Christianorum omnium manus ueniret, iudicassem, ad eum in linguam Latinam uertendũ aliquot dierum operam contuli: perfeciq;, ut qui solum antea græcè, sed longè ornatissime & elegantissime loquebatur, nunc quoq; à Latinis hominibus si non cum ea uerborum dignitate & splendore, planè tamen & dilucide loquens intelligatur: sed de hac re aliorum esto iudicium. Hoc quidem certè sum secutus, &, ut spero, assecutus, ut omnem eius sensum fideliter perfecteq; exprimerem. Vt autem hãc uersionem aggrederer, id me potissimum incitauit, quòd his nostris turbulentissimis temporibus uisus sit appositissimus. Nam cùm præter sectas multiplices, & prodigiosarũ

opinionum uarietates, quæ agrum Domini longè lateq; oc cuparunt, impietatis quoq; & à Deo alienationis infelicißimum lolium in plurimorum montibus alte radices egerit, qui quidem tantum abest, ut in sacrorum librorum autoritate acquiescant, ut eam, proh dolor, contemnant & pro nihilo ducant: qui aduersus eos est depugnaturus, & cum eis congressurus, armis in eos philosophicis, hoc est ualidis & efficacibus rationibus, utatur oportet. Hac quidem pugnandi ratione noster Zacharias aduersus Ammonium scitißime et aptißime usus est: qui cum diuina ora cula nullius non modo apud eum esse ponderis, sed etiam ludibrio & despicatui haberi animaduerteret, ex arcanis Philosophię adytis petitis rationibus eum persequens, suo, ut aiunt, gladio confodit. Quod quidem aduersus impios istos homines, uel potius κακοδαίμονας meo quidem iudicio hoc tempore omnino faciendum est. Nec ijs est assentiendum qui philosophiam, ut Christiano homine penitus indignam, omnino abhorrent & auersantur. Quibus satis fuerit hoc in præsentia respondisse, Origenē, Basilium, Chrysostomum, Nazianzenum, & cęteros Theologiæ antesignanos, ut & Hieronymum, & Augustinum, & cęteros insignes inter Latinos sacrarum literarum interpretes omittam, in eo studiorum genere ita esse uersatos ut excellerent: Aegyptumq; ita spoliasse, ut Domini tabernaculū ac templum pulcherrime ornarent: impiumq; illum Christiani nominis hostem Iulianum Apostatam nulla re alia maiorem Christianæ religioni calamitatem afferri posse non temerè censuisse, quàm si cum à cæteris humanioribus disciplinis, tum maximè à Philosophia Christiani arce-

rentur. Quod cum ut fieret perniciosissimo edicto cauisset, sui populi misertus Christus Opt. Max. simul cum uita fraudulentum eius consilium profligauit. Fundamentum quidem nemo potest nec debet aliud ponere præter Iesum Christum Dominum nostrum. Sed firmissimo iacto fundamento, lapides quoq; pretiosos, & cętera quę eo non indigna sint, superædificare minime prohibemur. Quæ cum ita sint, Ornatissime Didache, non possum tuam in pulcherrima illa adornanda librorum supellectile diligentiam ac magnificentiam non uehementer laudare, admirari & suspicere. Inquam age. age inquam, ut cœpisti, fortiter incumbe: uestramq; Hispaniam, cui plurimis alioqui ornamentis honestatę bonarum literarum cultus olim magna ex parte defuit: sed quid dico Hispaniam, imò uerò uniuersam Christianam Remp. summo tuo beneficio tibi in perpetuum obstringe: pulcherrima aliquorum monimenta è tenebris erue: & in luce clarissima statue: mortuos è capsarum sepulchris in uitam reuocatos, quoad eius fieri potest immortalitate affice. Erit id tibi & ad gloriam præstantissimum, & ad declarandam tuam animi magnitudinem, summamq; in omnes bonos charitatem longè maximum. Nihil est profectò pulchrius, nihil præclarius, nihil deniq; diuinius, quàm omnibus prodesse & posse & uelle. Quoties ex illa tua copiosissima bibliotheca uetus aliquis scriptor in lucem prodibit, tu toties nouo beneficio eoq; non paruo tibi bonos omnes obligabis. De Zacharia quidem certè, qui nunc à me uersus in lucem exit, quicunq; in eo legendo uel uoluptatis, uel fructus aliquid cœperint, cùm meus eis labor non ingratus fortasse fuerit, tibi

*quoq; quòd tua benignitate ac diligentia incolumis & integer extiterit, nec in carceris pedore situq; diutius iacuerit, magnas agent habebuntq; gratias. Qui nunc ad te profectus, postquam te salutauerit, & se tui in eum beneficij non oblitum ostenderit, à te etiam atq; etiam petet, ut se latine loquentem parumper audire digneris. Quòd si feceris, & ut mea nunc opera renatum excipias, & inter cæteros tuos domesticos referas, tibi in animum induxeris, ego meam in eo uertendo operam mihi non omnino malè collocasse uidebor.*

*Vale. Tridentino nis Februa.*

*

# ARGVMENTVM SEQVENTIS DIALOGI, AB IPSO ZACHARIA DIALOGI AVTORE CONSCRIPTVM.



VIDAM, *qui Ammonij philoſophi fuerat diſcipulus, & ad Græcorum ſtudia ac diſciplinas paulatim declinauerat, Berytum acceßit, leges lecturus. Is quibuſdam ex ſuis familiaribus græcas ſui magiſtri de mundo quæſtiones cœpit proponere. Illi uero cùm eas ad me detuliſſent, & ſolutiones audiſſent: (fortè enim cum Ammonio & Geſio Iatroſophiſta de his rebus in Alexandria ſępè diſputaueram) poſtulauerunt ut ea literis commendarentur.* Sunt *Dialogi perſonæ hę, Quæ præpoſitum quidem habet, A, mea eſt. Quæ autem habet, B, illius qui Dialogo argumentum dedit. Alia uerò, Ammonij. Deinde alia Geſij Iatroſophiſtę. Ac in ijs quidem, quę ſunt cum ipſis, diſputationibus, mea perſona Chriſtianus inſcripta eſt. In fine autem Dialogi, rurſus primę perſonæ differunt, quæ per dictas iam literas ſignificantur. Eſt autem totus dictionis apparatus Platonicus, & ex ijs, quę ab eo deſumpta ſunt, pratis.*

Z*achariç Scholaſtici, qui fuit poſtea Mitylenes Epiſcopus, Dialogus Ammonius, quòd mundus non eſt Deo coæternus, ſed eſt eius opus: quòd cùm à temporali initio cœperit, etiam interit, quando ei qui fabricatus eſt,*

transmutare uisum fuerit: & Dei bonitatis ratio nihil ex eo lęditur. Ex quibus colligitur mundum non esse Deum, sed Dei opificiū. A. Quid noui accidit, ô charißime sodalis, quod Aegypti Scholis, & Neilo, & magna Macedonis ciuitate relictis, tu hîc nūc uersaris? B. Legum amor ô amice, ad legum matrem me ducit. & ecce Aristotelē meis delicijs relicto, ijsq;, qui ad eius orgia ac mysteria introducunt, in Phœnicia peregrinor, ut si qua poßim ratione ediscam quęnam à Romanorum legislatoribus leges ferantur. Volo enim id quoq; quod legibus constat ius nosse. A. Recte quidem facis ô bone. Satis enim mihi uideris in philosophię orgijs esse initiatus: et nec à musis alienus, uel ab huius religionis mysterijs & eiusmodi auditionibus animo remotus, uis pręterea ciuilis etiam esse scientię peritus. B. Recte dicis. A. Sed dic mihi uir beate, quomodo se habet Platonis et Aristotelis opinionum interpres, qui Athenis quidem relictis, atq; ueniens à philosopho, uel potius à uiro à philosophia & sapientia auerso: nunc quoq; se Alexandrię sapientem esse iactitat, & alios qui ad se uentitauerint, & sibi aures prębuerint, se pulchre esse sapientes effecturū profitetur? B. De Ammonio ô uir pręstantißime mihi rogare uideris. Eiusmodi enim uerbis eum ludificari soles. A. Ita est. Dic ergo quomodo se habet eius schola, eiusq; auditorum cœtus: & an ad eum nunc quoq; uentitent aliqui adolescentes boni & probi, animoq; sinceri & integri. Vehementer enim pertimesco, ne futili suā loquacitate adolescentes impleat. Ad corrumpendos enim adolescentum animos est egregius artifex, eos à Deo & à ueritate abducens. B. Dic hoc quomodo? A. Nescis (cum

clum in ... git

uiro enim uersatus es, & eius consuetudinis satis fuisti particeps) quid de cœlo & Deo sentiat? qui cœlum ad eandem cum Deo dignitatem, autoritatemq; prouehit, factum quidem esse hoc uniuersum, una autem causa ei qui illum fecit coæternum esse, & nunquam interiturum dicens. B. Scio, & uera dicis. Te autem lubenter interrogarem, an hoc non ita se habet. Mihi enim uidetur probabiliter, satisq; argute & non ineleganter argumentari. A. Vis ergo ô sodalis quęnam mea & eius fuerit congreßio tibi narrem, & quinam mei fuerint ad illum, et illius ad me uicissim sermones audire? B. Dic uero. Te enim lubenter audiam. A. Sed ne quis nostrum sermonem abrumpat, te manu apprehensum ad Dei templum abducam: & postquam te, ut hospites solent, ad ędis sacię spectaculum deduxero, es enim rerum uidendarum cupidus, & me ad belle narrandum comparauero, tunc tibi collocutionem nostram quiete et pedetẽtim explicabo. B. Atqui dum tu hoc agis, gratißimum mihi facis. Crebro enim iactata huius rei fama aures mihi oppleuit, quòd quidquid unquam fuerit spectaculorum, id in eo pręstantißimum appareat. Nam & omni materiarum earumq; excellentium genere insigniter esse uariegatum, & admirabilem eius esse dicunt pulchritudinem, ut nullum eorum qui spectandarum rerum studio tenentur, unquam eius spectandi satietas ceperit. tantam ei pulchritudinem ars opificis & sapientia tribuit, & illius Pontificis uehemens contentio, quem in hoc artificij genus permultum dicunt studij contulisse. A. Vera dicis, & undenam is, qui hoc tibi sic prędicabat? B. Audio ita habere ô uir egregie. Atqui ne amplius sciscitare, sed hęc ipsa

Eusta

contemplare. B. Papę uir amicißime, ô artificis sapientiam, & pulcherrimam hanc cognitionem. Quanta est delubri Dei pulchritudo, quam apta proportio, quis ordo. et quomodo tanta moles bis quinq; columnis sustinetur & fulcitur. et quomodo sunt omnes ex eadem materia excisæ, & eandem inter se speciem cognationemq; conseruant. Omnes enim candidæ & leues, & candore, & leuitate mirandum in modum illustratę ac decoratę, eadem opera eandem figuram formamq; retinent. & cum pictoris artem admiror, uarietatem, gratiam, tum materiæ etiam pulchritudinem, alias uenustatem, nitorem, colorisq; ipsius bonitatem. Sed hæc quidem considerabimus. Tu autem dic mihi Philosophi congreßionem, & illos longe pulcherrimos sermones, nihil eorum quæ ab illo dicebantur ac proponebantur me celans, ne hæc nobis sine capite procedat quęstio. Neq; enim fas est ei, qui philosophiam profitetur, ueritatem pariter & amicitiam lædere: siquidem ea est omnium longe maxima iniustitia, quæ de Deo & rebus diuinis falsa in anima consistit opinio. His accedit, quòd nec undiq; uenari oportere Cadmeam quandam uictoriam dicunt ij qui prouerbijs lubenter uti solent: ut fit in iudicijs à præclaris oratoribus, & ab ijs qui in contentiosis orationibus uersantur. A. His profectò uerbis tuis me demulces ac delinis ô uir eximie: Amicam enim ueritatem, & rectas opiniones esse tibi curæ intelligo: quibus uiro quidem cordato ac moderato nihil esse beatius ac pretiosius uidetur. Iam uero & philosophia, communes nostræ delitię, hoc uult, nempe quod omnis felicitas, & uitę bene dicendæ ratio, in hoc consistat. Audi ergo, audi ô beate, ue-

ritatem cum uerbis contendentem. Porrò autem & ipse, si quid forte nolens prętermittere uideor, in medium profer. Non enim apud eum, qui quę sunt eius ignorat, in pręsentia uerba facio. B. Dic. A. Ego, et alij quidam ex eius discipulis naturalem forte auscultationem audiebamus intus in schola, æstatis tempore, quando Zephyrus suaue ac lene spirat, & maximus fluuius suis fluentis Aegyptum ualde inundat, & agros Aegyptios restagnans irrigat: ipse autem nobis, non secus ac qui oracula interpretantur, Aristotelis sapientiam, et eorum quę sunt principia, in alto quodam suggestu, ualde, ut Sophistis mos est, elate, et insolenter sedens, explicabat ac declarabat, & eum quidam sermo de cœlo iniectus esset, uel de industria, uel eorum quæ dicebantur consequentia serieq; ac conuenientia id postulante, neq; enim recordor, hac propositione usus est. AMMO. Res tibi pulchra uidetur cœlum, an non? CH. Pulchra, inquam ego. AM. Bonus autem eius quoq; opifex? CH. Quidni? AM. Si itaq; pulchra quidē res est cœlū, bonus autem est huius uniuersi pater & effector, qui fit quòd id quod pulchrum est, non ei quod bonum est in æternum consequi ac coniunctum esse uolunt Christiani? & si res quidem pulchra est, ut utiq; in confesso est, hoc uniuersum: id quod pulchre se habet, belleq; ac recte compactum est, uelle soluere quomodo non mali est? Quod quidem de primo illo ac solo cogitare, ne fas quidem est omnino. Inuidia enim est extra id quod bonum & unum est, atq; adeò extra omnem diuinum chorū. CH. Maxime. AM. Atqui & hoc quoq; considera. CH. Quidnam? AM. Bonum Deum esse confitentur? CH. Quidni? AM. Pulchrum

autem & uniuersum? CH. Certe. AM. Quomodo ergo non est in æternum quod bonum est? Si enim in tempore hoc uniuersum factum est, & ab opifice secundum est, non dignitate, hoc enim nos quoq; confitemur, sed tempore: Deus tanquam pœnitentia ductus, ad huius opificium accessisse uidetur, cùm uel propter eius quod pulchrum ac honestum est ignorationem, uel inuidiam id antea non esset fabricatus. Est autem utrunq; à beata illa natura alienum: si quidem eius quod bonum & honestum est Deus semper scientia prçditus, & bonus est. Hoc quoq; contemplare. CH. Quidnã dicis? AM. Prouidẽtia administratur hoc uniuersum? CH. Næ. AM. Vndénam ergo est ei inducẽdus hic interitus? Vel enim ex Dei sententia, uel præter sententiam. Si itaq; prçter Dei quidem sententiam: auxilium ferre non potest, cùm seruare desyderet. Si autem ex sententia, quánam de causa perdit id quod est optimum ac prçstantißimum eorum quç facta sunt? Vel enim pulchriorem facturus: & fieri non potest. Vel deteriorem: & fas non est: Vel similem. sed hoc quidem puerilis ludus est eorum qui ad littus maris ludunt, & ex arena domos construunt & dissoluunt. Quis enim artifex in laboribus frustra suscipiendis adeò est stultus ac temerarius, ut ea quæ à se pulchre facta sunt opera commutet? Ex his ergo quæ posita sunt colligitur, ut uel Deum impotentem uel insipientem dicant: quod est dictu nefarium. Atqui nec impotens, nec insipiens est Deus: prçterea etiam bonus. Est ergo mundus ab interitu alienus, si autem est ab interitu alienus, est tempore quoq; ingenitus. Cùm sit enim çterna opificialis causa, est tempore quoq; çternum opificium, ut

*inquit Porphyrius, & uidetur ueritas.* CH. *Audi ergo, inquam ego. Hęc enim frequenter Christianis, qui quę ad ueram & solam eorum pietatem & doctrinam pertinent, non satis sunt meditati, obijcientes, simpliciores uos perterrefacturos, & abducturos putatis, grandiloquas quasdam & insolentes, artificiosasq; orationes contexentes, dum Christiani sinum existimatis sola fide muniri, & non propter ineuitabiles prętera rationes & demonstratiuas necessitates ita sibi iure placere, ut ea sit demum uera pietas & religio, quæ fide bona, purisq; ac sinceris rationibus ac demonstrationibus, quæ tam uerbis quàm rebus ipsis fiunt, floret & exornatur. Nostri enim Theologi compta & bene contexta oratione, uerborumq; elegantia, & atticorum nominum concinnitate & compositione, dictionisq; ornatu & splendore, auditorum aures non præstringunt, propter uerarum demonstrationum inopiam: sicut uester Plato, & reliqui, qui de uestris Dijs uel malis potius dęmonibus scripsere, Sirenas Homericas imitantes, quę eorum, qui audiendi studio tenentur, musicæ uoluptate aures demulcent: eos autem, qui ab eis persuadentur, morte multant. Quamobrem Ithacensem illum militem laudo & admiror, qui non turpiter, nec ignauè ac abiectè se gessit, sed sua potius prudentia earum superauit insidias. Non sunt ergo nostra huiusmodi. Nam & Seruator noster, & sacrosancti eius Discipuli & Prophetę, qui de eo olim uaticinati sunt, non tanquam scenica uerborum uarietate instructam, sed sine omni integumento, & omni artificio, dicendiq; lenocinio, nudam ueritatem proponunt. Ac eius quidem naturalis ap-* κομμωτ

paret pulchritudo: & rebus ipsis uerba conueniunt: uestra autem omnia pereunt ac euanescunt. Sed ne me digressione aliqua uti existimes, ut uestras propositiones declinem, quæ ab aranearum telis nihil differunt, iam ad tuam dubitationem respondebo, & ad tua infirmanda & refutanda accedam, Christo solo principe ac Deo fretus. Dicebas, quòd si bonus quidem Deus, pulchrũ autem etiam hoc uniuersum, ut qui eius qui bonus est sit opus, quomodo non effectum effectorem consequi par est? et quòd non boni est, id quod pulchre se habet, & bene aptum compactumq; est dissoluere: et quòd duorum alterum, uel propter eius quod pulchrum est ignorationem, non fabricabatur qui bonus est, uel propter inuidiam. Colligebatur autem, utraq; ab eo qui bonus est esse aliena. An non hęc dicebantur? AM. Maximè. CH. Nunquid ô uir egregie, Socratem, & Platonem, & singulares homines, rem pulchram aliquam esse dicis? Confessus est. Et Dei etiam opera ac effecta? AM. Quidni? CH. Cur ergo non semper est Socrates, & Plato, & singulares homines? Cur autem in tempore fiunt et intereunt? An non mortuus est Socrates, & Plato, & singulares homines quotidie moriuntur? AM. Videtur. CH. Et ijs morientibus ac intereuntibus bonus Deus est? AM. Videris uerum dicere. CHR. Et eius quod pulchrum est sciens est, licet hęc in tempore & fiant & pereant? AM. Omnino necesse est. CH. Nec inuidię tamen perturbationem ei qui bonus est inesse dicimus. AM. Nequaquã. CH. Si itaq; bonus est Deus, & Socratis & Platonis, & singularium hominum effector, qui boni & pulchri sunt, & in tempore fiunt et intereunt: nec bonitatis Dei ratio quid

quam lęditur:hęc cum ita habeant,quomodo non bonus est
uniuersi opifex, si id quando uult, fabricatur, & quomo-
do ei uidetur dissoluit, immutatq; & transformat, ut sibi
soli placuerit? An non sentis ô uir pręclare, quòd cùm par-
tes interire concedis, eædem quoq; affectiones in totum
quę in partes cadunt? Cuiusmodi enim sunt totius partes,
eiusmodi quoq; esse totum, cuius sunt partes, necesse est.
AM. Nescio quonã mihi modo rectè uideris dicere. Sed in
nostra exponenda opinione mihi aliquid secus ac debuit
accidit. Nec tibi utiq; assentior. Sed id quod dixi rursus as-
sumens, dico nec Socratis, nec Platonis, nec singularium
hominum Deum esse opificem, sed suum uniuscuiusq; pa-
trem, & solem. CH. Agè uero, inquam ego, noui ergo no-
bis opifices apparuerunt, suus uniuscuiusq; nostrum pater
& sol. Oportet ergo unumquenq; pro solo opifice & uni-
uersorũ effectore suum patrem in Deos referre. AM. Non
hoc dico, sed uniuscuiusq; patrem illius esse generationis
autorem per seminis deiectionem. CH. Sed non, ô beate,
nunc hoc considerandum est, quòd Deus patribus tanquàm
instrumentis utitur, prima per eos principia operans, &
semen genitale deijciens: sed quis nam id quod deijcitur per
immutatricem facultatem formauit, in speciemq; deduxit?
Quis autem partium inter se proportionem ordinemq; po-
suit: quis ex ossibus, neruis, uenis, ac carne, & in singulis,
eorum quadam ueluti conspiratione ac consensione, con-
uenientiáq; ac concentu, hoc animal compegit ac consti-
tuit: quis est autem qui animam alligat formato corpori, ut
parua humiditatis guttula in naturę officiatur, intelligen-
tięq; ac scientię capax, hoc, inquam, magnum, scilicet ho-

*mo. Non enim solem dixerit quispiam. Nam & ipse Dei opus est, si Platoni credendum est. Num tibi uidetur, eum, qui ab alio factus est, nec sit Deus natura, posse quid fabricari? AM. Non. CH. Deum autem solem existimas? AM. Existimo, nisi quid aliud dicis. CHR. Age ergo primum consideremus an sol Deus sit. Et si hoc in confesso fuerit, eum quoq; esse corporum opificem concedemus. Sed nec tum utiq; causam esse dicemus colligationis animę cum corpore: neq; enim hoc Plato in Phœdone concesserit, docens non oportere nos corporis natura repleri, sed ab eo expurgari, donec Deus ipse nos soluat, nequaquam solem dicens esse qui soluit, sed Deum ipsum: aperte adiectione huius dictionis, Ipse, solum Deum innuens, uel potius aperte ostendens, qui & in tota ea disputatione, qua non oportere discedere, nec carceris custodem, nec carcerem effugere, sed expectare donec is soluat, qui te uinxit, per Socratem est philosophatus, nusquam solis meminit. Age itaq; ostendamus nec Deum esse solem, nec singularium hominũ opificem. AM. Sed hoc fac. CH. Deúmne esse intelligentiam & rem incorpoream existimas? AM. Nę. CH. Pręterea autem & ab interitu alienam & immortalem, & similiter semper se habentem, & ab omni circunscriptione liberam? AM. Maxime. CH. Adhęc etiam simplicem et incompositam, et corporibus impermixtam, & ab omni uinculo alienam, ut & beatam, & ab omni detrimento offensionéq; remotam, sufficientem ac perfectam, & ingenitam, & ab omnibus, quę sub generationem & interitum cadunt, differentem? AM. Videris uera dicere. CH. Iam uerò & non aspectabilem, & figuræ*

*expertem,*

expertem, nec tractabilem & indiuiduam, & ab omni magnitudine qualitateq; ac quantitate separatam, utpote incorpoream. AM. Vtiq;. CH. Quid uerò solem dicis, an non sensilem utpote corpus, & generatum, quoniam corpus: præterea autem in quem cadit interitus, ut qui sit generatus, & à circunscriptione non remotus: cum enim cœlum continet, nec à compositione, figura et quantitate, & eiusmodi quę sunt corporis seiugatus, iam uerò qui & generetur & mutetur, conuersionibusq; ac defectionibus in dies seruiat, & uerè nullo modo sit. AM. Videtur. CH. Quòd autem ita se habet, nec per se est sufficiens, nec perfectum, utpote quod ab alio factum sit, & ab eius pendeat prouidentia, & illius egeat ad hoc ut sit & subsistat. AM. Rectè dicis. CH. Minimè autē opifex uel Deus, qui est eiusmodi, putandus est. AM. Consentaneum est. CH. Age ergo axiomata in summam redigamus. Nam bis & ter quę pulchra sunt dicere ac considerare, pulchrum honestumq; esse dicunt. Deum esse intelligentiam, remq; incorpoream confessi sumus. AM. Certe. CH. Præterea autem & ab interitu alienam & immortalem, & semper eodem modo se habentem, ut simplicem & incompositam, & unam, & ab omni uinculo circunscriptioneq; & ad alterum relatione liberam. AM. Diximus. CH. Ac etiam perfectam, & per se sufficientem & ingenitam confessus est. Solem autem sensilem, utpote corpus & generatum, cui consequens est ut sit etiam interitui subiectus, & dissoluatur, ut qui sit compositus: præter hæc & qui circunscribi poßit, & sit figuratus, ut qui ab alio factus sit, & illius egeat. AM. Et hoc quoq; dictum est. CH.

Minime autem perfectum, uel per se sufficiens esse, quod tale est, concessum est. AM. Videris omnino uera dicere. CH. Ac illud etiam in confesso fuit. AM. Quidnam? CH. Quod non est eiusmodi, non existimari oportere esse opificem, uel Deum, ut quod id quod perfectum est non attingat. Extra diuinam enim naturam & beatum Deum est id quod imperfectum est. AM. Recte dicis. CH. Si hęc ergo ita se habere ostendit ratio, quomodo singularium est hominum sol opifex? Sin autem eorum qui hęc opinantur temerariæ sententię, erroriq;, ac magnę his in rebus stultitię assentiendo, hoc concessum fuerit, Solem esse corporum opificem, ac omnino Deum, quomodo non eadem quęstio rursus exorietur? Necesse est enim, si fabulas sequentes, Gigantumq; facinus imitantes Solem in Deum refertis, eum quoq; esse bonum, & cuiusuis boni effectorem ac opificem confiteri. Quomodo ergo egregiam uestram & admirabilem dubitationem effugere poteritis, si à uobis excogitatum Deum, Solem uestro arbitratu nobis induxeritis, perinde ac ij, qui ex scena priuatum, nobis regem sępe faciunt. Nam & hic inuidia, & honesti ignoratio, & ex pœnitentia introducta fabricatio, & eius quod bene se habet, recteq; compositum est solutio consequetur, aliæq; sapientes stultęq; uestrarum quęstionum dubitationes. Quis est autem, qui animas corporibus alligat? Neq; enim hoc utiq; Soli tribuendum est, etiam si ij qui omnia permiscent ac confundunt, Corybantumq; more debacchantur, ea quę sunt, susq; deq; peruertant: qui propter unius & solius opificis ignorationem, & in eo non cognoscendo errorem, ad Deorum populum delapsi, & nobis

opificum à fabricatione effectioneq; alienorum ac seiugatorum ueluti quorundam improborum planorumq; dæmonum cathenas effingentes, eos in Deorum cœtum adsciuerunt, nequaquam Homericam sapientiam attendentes qui
,, ita sancit, Non bona multorum est dominatio, temperet
,, unus, Et sit Rex unus, popularem autem inordinatum statum, omniumq; Reip. administrationum turpissimum, semperq; perturbatum, et seditionibus exagitatum, rebus diuinis attribuentes, Monarchię uerò pulchritudinem respicere non potentes, nec immaterialem & beatam eius lucem expetentes. In opinionum enim ueritate caligantes, bonum quidem & opificem uoce tenus confitentur, ei autem huius uniuersi opificium effectionemq; detrahunt, totam eam ijs quibus uolunt, uel partes eius, adscribentes: nec uolunt intelligere quid sit opifex & effector, & quid Dei sint opera ac effecta: & quòd sol in magna hac aula, instar lychni, à Deo positus, uniuersum illustrat: nec aliud quid agere operariue potest quàm quod ei ab ordinis præfecto & solo opifice mandatum est: ut animalibus, inquam, lucem præbeat, plantas arboresq; calefaciat, inundantem autem & superexcrescentem humiditatem, putrefactionumq; regiones partesq; exiccet & consumat. Has enim solas & eiusmodi operationes ei opifex attribuit, & hanc ei naturam donauit. Vnde legi illius obtemperans, instar rotę uniuersum hoc ambit, unius solum speciei motum, eumq; coactum habens, utpote qui sit seruus & inanimatus, & nec animal quidem omnino rationale existat, ut ij existimant, qui eum in Deos referunt, uel ad has miseras opiniunculas aspirant, sed aptum concinnumq; motum

peragat, & nec ab opifice positos terminos, ordinemq;, quem sortitus est, transiliat, sed cum hoc uniuerso amicitia conspirantiq; consensione ac concordia opificem prædicet, quemadmodum pulchre extructa, & eleganter instructa ornataq; domus, sępe absentem & non uisum ædificatorem, & uenerandam artificis sapientiam annunciat. Vnde & à diuino Apostolo, is autem est Paulus, de Deo &
» mundo pulchre philosophatum est: Sic enim dixit, Inui-
» sibilia eius à mundi creatione eius operibus intellecta con
» spiciuntur. Quinetiam à sapienti Solomone, qui eandem
» sententiam alijs uerbis declarauit, sic dicens, Ex rerum
» creatarum pulchritudine, ac magnitudine earum conue-
» nienter generator conspicitur. Postquam hanc illo die disputationem ego & philosophus habuissemus, congressionem soluimus. Ab eo enim propositorum Aristotelis theorematum explicatio finita erat. Multi autem ex eo qui tunc aderat cœtu, qui hanc disputationem audiuerant (erant autem & ipsi ex ijs, qui in demonstratiuis disciplinis, & uarijs syllogismorum labyrinthis uersabantur, & Aristotelem, tuas delicias, Platonemq; frequenter spirabant, & admirabantur) uerbis nostris uel sacræ potius Christianisq; amicæ ueritatis assensi sunt, eáq; suæ sententiæ calculo comprobarunt: domumq; abierunt, Christianas demonstrationes admirantes, & ueritatis uerba sępius audire ualde desyderantes. Postridie autem, eius discipulorum summus Gesius, qui nunc Hippocratis Coi & Galeni Pergameni sapientiam profitetur, & eorum qui artis medicæ studia sectantur, magister, apud Nilum præsidet, eandem uoluit congreßionem sermonemq; renouare, tan-

 106

quam plura quàm suus magister posset dicere: et me dextra apprehensum ad musarum templum deducit, quò Poëtæ & Rhetores & Grammatici conuenientes, solent quantum in suo genere ualeant ostendere. Hic autem orationis exordium fecit. IATROSOP. Quomodo est Deus opifex, si non semper fabricetur? CH. Vt qui opificiales, inquam ego, rationes in se habeat, Deus est semper opifex. sicut & qui medicus in se habet rationes, medicus et est & dicitur. præterea autem & faber, architectus & orator. An non tibi uidetur? IAT. Vtiq;. Sed neq; medicum uocauerimus, uel nominauerimus eum, qui non sanat: sed nec fabrũ, nec architectum, aut ædificatorem, eum qui nec fabrilem, nec ędificatoriam artem in actum producit: sicut nec eum musicum, qui uocum fidiumq; concentu musicam non ostendit, nec numerosa sonorum harmonia animos auditorum demulcet, nec aures oblectat. sicut nec eum oratorem dicimus, qui nec in publico hominum conuentu panegyrica pronuntiat, nec in iudicio iudicibus, nec in curia senatus, nec in concione populo sua oratione persuadet. Nec is ergo opifex fuerit, qui nec actu operatur, nec quas habet rationes in apertum profert, nec informem materiam in speciem figuramq; transmutat, componitq; ac transformat. CH. Rectè inquam ego. Sed audi ô uir egregie, quàm rectè quę ad Deum pertinent tractemus, de eóque pie sentiamus. Dicimus enim Deum semper esse opificem, ut qui in seipso opificiales rationes habeat, et eas quando uelit producat. Neq; enim Deo otium desidiámque tribuimus, nec de eo id prædicamus: nec quoniam quandoq; non fabricat, opificem esse negamus: sed ex ijs quæ facta sunt, opificem

*ſcientes, ab omni eum ad alia relatione, & neceßitate, & tyrannide, ut qui Deus ſit et unum, liberum eſſe putamus. Neq; enim neceßitate fabricatur libera & beata natura, nec quoniam non quandoq; fabricatur, nec inordinate, nec ſimul omnia, iam etiam ab eo remotus erit ne ſit opifex. An non tibi ô amice ualde abſurdum uidetur, te quidem medicum illum ſcire confiteri, qui artem medicam apprehendit, & ad eius habitum peruenit, ipſumq́; in ſe circunfert, in unum autem aut alterum corporis morbo laborantem, & ne elementorum diſſolueretur apta compoſitio in periculum adductum, artem medicam exercuerit, etiam ſi eam non ſemper exerceat. Deum autem opificem non exiſtimare, qui quando uult fabricatur?* IAT. *Maximè.* CH. *Atqui & fabrum & architectum ac ędificatorem & muſicum, & oratorem nihil lęſerit, ſi in ijs quę ab illis aguntur aliquando ceſſent, & ſe otio tradant.* IAT. *Nequaquam.* CH. *Age uerò, inquam ego, eos omnes libertate donamus, ſuiq́; iuris ac liberos & ab omni eſſe neceßitate ſolutos ſtatuimus in ſuis exercendis artibus: omnium autē regem, qui ſolus eſt liber, & eam quæ uerè eſt libertatem alijs ſuppeditat & impertit, ei, quę omnibus quę generantur ac intereunt, imperat, neceßitati ſubijciemus, & ei ipſum quoq; ſeruire exiſtimabimus, ut uel non eſſe opificem confiteamur, ſi à nobis libertatis honore afficiatur, et non fabricari cogatur: nec à ſeipſo: neq; enim pugna ac ſeditio in ea quę à pugna ac ſeditione aliena, quietaq; ac pacata, uel ipſa per ſe potius pax exiſtit, diuina natura uerſatur: eſt enim tota quanta ſimplicitas, & ipſum unum & nunquam compoſitio: neq; ab ullo: neq; enim eſt aliquid quod*

regem omnium transcenderit: uel si opifex existimetur, ne cessitatis eum uinculis fabricari existimemus. IAT. Recte dicis. CH. An nescis ô charum caput, quòd non necessitas, sed sola bonitas, huius uniuersi opificij & effectionis principium dedit, eiq; præest ac imperat? Et si uis, audi, quoq; uestrum Platonem qui hanc solam esse causam dicat uniuersorum constitutionis, qui Timæum componens sic dicit, Dicimus causam propter quam qui uniuersum
" componit, composuit. Bonus erat: Bono autem nulla un-
" quam de ullo inuidia fuerit. Præterea autem hoc quoq; considera. IAT. Quidnam? CH. Si quoniam ex quo Deus est (ex ęterno autem est) non fabricabatur, non est opifex: præterea autem nec beneficus, nec bonus, ut qui non semper fabricatur: Quid nunc ergo fabricatur? Neq; enim alios mundos dices, siquidem unigenitus est hic mundus ex Platonis sententia. IAT. Hunc mundum etiam nunc quoq; fabricatur. CH. Audi ergo, inquam ego, quàm uestris opinatis non conueniat, talis positio ac confessio. IAT. Dic. CH. Ea quę sunt, perfecta fecit, uel à principio quædam imperfecta reliquit. Si itaq; perfecta, in ijs quę perfectè se habent, integreq; aptata compactaq; sunt agendis exercendisq; uersari fuerit superuacaneum. Si autem imperfecta: uel propter inuidiam ab initio perfecta non fecit, uel propter perfecti ignoratione. Est autem utrunq; à Deo alienum, & eo indignum qui est solus, & sciens, et bonus. Et quomodo aptum tuum argumentũ effugies, & uestrorum sapientum beatorumq; hominum obiectiones dubitationesq; uitabis. An non est absurdũ hęc uel de Deo cogitari? IAT. Quidni? CH. Non est ergo ne-

cesse eum qui bonus est, semper operari: & non ideo, non beneficus, bonus, & sapiens, bonique ac perfecti sciens fuerit, si in tempore fabricetur. Quomodo autem hunc quoque mundum in præsentia facit? Atqui ut uestra satis ostendit oratio, nec animas nunc fabricatur, nec corpora. Animas enim eum nunc non fabricari dicitis. Eas enim ab initio finitas Deum fabricatum esse uos asseritis, eásque ante corpora uixisse, & multa corpora subire. & hominum, & ratione carentium animalium, insigni quadam sapientia ac solertia, Pythagoras & Plato uestri sapientes somniant, in corpora migrationis fabula ab Aegyptijs sapientibus accepta eadem cum illis nugantes. Sed neque opificem singularium esse hominum opificem conceßistis. Patres enim ac Solem eorum esse causam dicitis. Ad hæc ueluti offusis tenebris caligans & impeditus, ualde & mirandum in modum exclamauit Iatrosophistes, Quàm es ô amice, importunus & insolens, qui antiquorum opiniones confutare & euertere moliris, nec ulla tibi beatorum illorum ac sapientum apud omnes qui doctrinę studia sectantur, gloriæ insignísque existimationis reuerentia & ratio in mentem uenit. CH. Non inquam ego. Vetera enim tunc honorare ęquum est, quando una quoque cum tempore florentem ac uigentem habent ueritatem: quando autem bella est ac iucunda fabula, ornatis uerbis, dictionisq́; elegantia ac nitore aures pręstringens, tunc, tunc inquam, ceram Homericam auribus immittimus. & ea ratione mortiferarum Syrenum exitialem tantum uitabimus, ueneni poculum melle conditum mixtumque agnoscentes. Ita ne Homericas de Dijs fabulas, quas et ipse Plato, cùm earum

*Poëtam unguento perfudiſſet, è Rep. à ſe conſtituta amandat, non ſecus ac fœminę hirundines, admirantes excipiemus? Atqui ipſe quidem Plato nullam nec temporis, nec antiquitatis, uel pulchrorum eius uerſuum elegantiæ curam habens, admodum ſeuere ac grauiter Poëtam è ſua ciuitate exturbat, ut qui eſſet adoleſcentes corrupturus, ſi eius eſſet particeps. Nec nobis ergo ulla temporis cura erit, quandiu nobis falſitas moleſtiam exhibuerit, & præclaræ autem noſtrę delitię ratio & ueritas minimè compareant.* IAT. *Sed cur, inquit ille, hæc oratorio more iactitas? Quaſi uerò nos ratione, & ea, quę cum ipſa educata eſt, demonſtratione egeamus, & maximè in principalibus noſtris opinionibus.* CH. *Rationem ergo, inquam ego, ſiquidem nos traxerit ſequemur. Velim enim ſcias ex rebus pulchris ac honeſtis omnibus nihil ea mihi uideri prȩſtantius & ſanctius et magnificentius. Dic ergo quomodo nunc eſt opifex Deus, & quid fabricatur?* IAT. *Quòd continet, inquit ille, ea quę ſunt, & eorum curam gerit, fabricatur.* CH. *Sed non hoc, inquam ego, fuerit eſſe opificem et fabricari. ſiquidem noſtra quidẽ ſententia is eſt opifex qui ipſam ſubſtantiam ex eo quod nec ullo modo nec uſq̃ eſt deducit, et formę cõuenientẽ materiã unà generauit. Subſtantiarũ enim Deũ factorẽ eſſe dicimus, et nõ figurarũ ſolũ. Veſtra autẽ ſententia is eſt opifex qui formę figurȩq; expertẽ materiã in formã figuramq; effingit, & à priori informitate ac perturbatione, et quę inerat confuſione liberat. Hęc quidẽ eſt opificis, ut ambę uolũt opiniones, definitio ac ratio. cõtinere autẽ et prouidere aliud eſt q̃ opificẽ eſſe. cõtinere enim eſt ea quę ſunt et facta ſunt, cõſtringere et cõſeruare.*

Prouidere autem, eorum quę sunt & facta sunt, curam aliquam gerere. IAT. Rectè dicis. Quid autem, inquit ille, ex eo à te colligitur, quod scilicet uel Deus nunc fabricatur, uel non fabricatur, lubenter à te quęrerem. CH. Dicam. IAT. Dic uerò. CH. Si non nunc fabricatur, inquam ego, opificem autem esse, dicis quòd iam fabricatus sit. Non enim necesse est eum semper fabricari, eadem ratione erit & ex seipso opifex, ut qui nullo egeat, sed opificiales in se rationes habeat, actu quoque etiam fabricaturus. Non enim necesse est opificem semper fabricari, sicut iam ostendit ratio. Hoc quoque consydera. IAT. Quid nam? CH. Si dicemus mundum esse Deo coęternum, in hoc quidem certè cum illo erit eiusdem honoris particeps. Quo quid esse poßit ad impietatem maius, si eum qui est circunscriptus, & sub aspectum & contactum cadit, & materiale corpus habet, eodem cum ea quæ nec circunscribi, nec uideri potest, & omnium est suprema, natura, honore dignabimur? IAT. Hęc non ita habent, inquit ille, & si uis, noto familiariq; exemplo te ad id quod quæritur, deducam. Dicunt enim quòd sicut corpus uniuscuiusq; umbrę causa est, umbra autem corpori tempore, sed non honore est ęqualis: sic et hic mundus est Dei quidem sequela, qui ipsi causa est ut sit, Deóq; est coęternus, sed ei tamen non est honore ęqualis. CH. An non uides, inquit, quàm sint omnino absurda quæ dicuntur? Primum quidem Deum causam esse fingunt, quę nec sua sponte, nec sua uoluntate, ad eorum quę sunt constitutionem accesserit, huius esse sequelam mundum existimantes, sicut & umbra est corporis sequela. neq; enim si utiq; uelimus, umbra auertitur. Er-

go uel nolente quidem Deo mundus eum sequitur. Atq;, ut semel dicam, Deum casu subsistere, causamq; esse euidenter dicent. Praeterea autẽ illud quoq; non consyderant. IAT. Quidnam dicis? CH. Quòd umbrę quoq; aliquid aliud concausa est. Neq; enim solum corpus. Id autem lux fuerit: quę si non fuerit, nec figuranda, nec secutura umbra sit. Oportet enim esse lucem, & intermedium corpus, quę umbram efficiant. Quámnam ergo Deo concausam introducent, qui nec spontaneam, nec uoluntariam mundi causam, Deum esse dicunt, quemadmodum umbrae corpus, cum ipse quidem intelligentiae sit lux, nec ullum sit corpus intermedium, quod solet sequi lux? Obsistens enim, inquit ex ue-
›› stris sapientibus quispiam, soli corpus, lucem pone esse non
›› sinit: & hoc est umbra. Vnde & talis describitur, quale corpus fuerit. Sed quòd haec, si de Deo cogitentur ac dicantur, sint & absurda, animęq; maximam perniciem afferant, nemo est, modo sit, uel mediocri prudentia praeditus, qui non satis aperte intelligat. Quis autem non miretur exemplum uel potius irrideat? Dicunt enim umbram corpori non esse honore aequalem, & non consyderant quod alia quoq; ratione non fuerint hęc honore ęqualia. Corpus enim triplicem habere dimensionem, ut reuera habet, dicitur. Hanc autem corporis siquis imaginem dixerit, is non aberrauerit. In hoc quidem certè quod sunt tempore aequalia, non differunt. IAT. Bene dicis. Sed ô beate, inquit ille, si quicquid fit, fit in tempore: tempus autem cum coelo, & coelum cum tempore erit: & tempus unà cum coelo genitum. Est enim tempus, mundi ambitus, & circumactionis mensura. Vnà autem cum mensura id quod dimetitur

esse necesse est. ad se enim inuicem referuntur. Quę autem sunt eiusmodi ut ad se inuicem referantur, ea quoq; simul sunt natura. Si autem factum est tempus: Quidquid autem factum est, in tempore factum est. tempus ergo in tempore factum est, & tempus erat ut esset tempus. Erat ergo, & antequam esset, mundus, quod quidem fieri non potest. Si hoc itaq; est absurdum: ingenitum ergo est & tempus, & hic mundus, quoniam quidquid fit, fit in tempore. CH. Pulchre, inquam ego, sapientis Platonis opiniones uos refellere didicistis, licet uos eius esse discipulos profiteamini, & Platonici ab hominibus nominari desyderetis. An non
" hæc sunt illius? Tempus simul cum cœlo factum est, ut si- "
" mul facta, simul quoq; dissoluantur, siquidem eorum fiat "
" solutio. Vt ergo nos & ueritati, & huic dicto auxilium "
feramus, falsorum uestrorum syllogismorum ex arena extructam ędificationem & breuiter & simpliciter dissoluemus. Dicimus enim non esse uerum, quod primum à uobis assumptum est. IAT. In quónam ergo fiet tempus & mundus, si non in tempore? CH. In æterno ô beate, eius enim imago tempus est. Non est ergo necesse tempus
sũs in tempore fieri, & ridicule ac captiose tempus temporis expers quæretur ut sit tempus. IAT. Pulchre dicis. Sed dic hoc mihi inquit ille, quomodo cum Deum bonum esse fatearis, & eum sua bonitate hoc uniuersum fecisse dicas, & huius eorum quæ sunt ornatus hanc unam esse causam dicas, ais hunc mundum interire, & qui & pulcher est, & à bono factus est. quod enim bonum est, omnia pulchra ac bona facit: an conuertetur mutabiturq; qui bonus est, & quod nefas quidem est dicere, fiet, ut quę pulchre

facta & composita sunt, interire uelit? CH. Minimè, inquam ego, hoc de bono ne cogitare quidem nobis in mentẽ ueniat, quod & solum est, & unum, et semper quidem est, generationem autem non habet, & firme ac stabiliter semper manet, et nunquam mutationem suscepturum est. Sola enim immutabilitas, et quod stabile ac firmum est, et quod uerè est, & quod ipsum unum est, & omnis libertas ac stabilitas, et summa beatitas, et ab omni inuidia remota ęternaq; bonitas, ad quam omne tendit desyderium, bonum est, et boni natura. IAT. Quomodo ergo, inquit ille, hunc mundum interire dicis, uel ex æterno non esse genitum, et permanere in bonitate Deum? CH. Ego tibi, inquam ego, quod & heri Philosopho eadem interroganti dixi, dicam. IAT. Dic. Ego enim te lubẽter audiã. CH. Dico. IAT. Dic ergo. CH. Socratem Sophronisci filiũ, et Platonem Aristonis, et Alcibiadẽ Clinię, et Peripateticę sectę principẽ, Aristotelẽ dico, et singulares omnes homines, aliquã rem pulchrã ac bonã esse dicis, an non? IAT. Maximè. CH. Et boni esse effecta. IAT. Videntur. Quomodo ergo mortuus est Socrates: mortuus autẽ et Plato. Atqui et pulcher Alcibiades, et uenerandę Peripateticę princeps disciplinę Aristoteles. Iã et singulares moriũtur homines, cùm nihilo minus Deus bonus sit, et quę pulchra sunt in tẽpore fabricatus sit, (nõ enim ex ęterno: solius enim Dei propriũ est, quod ęternũ est, nec hoc sibi mũdus attribuerit) et hæc quoq; ut interirent legẽ tulerit: quoniã sic oportebat. Ad eorũ enim quę facta sũt utilitatẽ, et id quod eis ex usu futurũ est, mouetur beata, et ab ĩuidia seiugata natura. IAT. Ego tibi, ĩqt ille, familiari exẽplo quopiã errorẽ abstergã.

CH. *Sed si hoc feceris ò beate, mihi gratificaberis. Velim enim scias & nulla in re ęque mihi posse gratificari cùm tibi sim amicus, quàm si uel ab errore uel à non ueris opinionibus animum meum liberes. Vteruis autem nostrum alterutri hoc fecerit, ei rem uel maximè gratam faciet. An non ita tibi uidetur?* IAT. *Ita est.* CHR. *Dic ergo quod uis.* IAT. *Quemadmodum dux belli, inquit ille, qui triginta, uel centum militibus præest, eos ad bellum exercet, & ad ordines seruandos instruit. Sin autem eorum moriatur quispiam, alium in numerum ascribit: & ita triginta uel trecentorum munus nullum penitus detrimentum accipiet, nec unquam ab opere cessabit, cum prudenti ducis consilio in eius qui deest locum alius suffectus sit, & numerus integer perfectusq; maneat: sic & Deus cum pro singulis hominibus qui intereunt alios fabricetur, ad uniuersam totius compositionem et constitutionem nihil damni accipit: & sic in bonitate permanet, licet singularia in tempore fiant, moriantur & intereant.* CH. *Papę, inquam ego, exempli subtilitatem, egregiamq; ac insignem sapientiam. Neq; enim, quę uestra est stultitia, illiberalisq; ac sordida natura, ea quę dicuntur sentire, nec malarum impiarumq; opinionum pilos, uobisq; coaliti erroris, quam animo tanquam mentis oculis circunfertis, lemam repurgare & amputare uultis. Num tuus ille imperator, ò beate, illos quidem primos milites nollet interijsse. sed cum præter uoluntatem, ingratisq; illos perdidisset, neque illos posset immortales efficere, secundam quidem, ut dicitur, nauigationem adgreditur, pro ijs qui mortui sunt, alios inducens, & per alios, eorum qui defuerunt*

numerum supplens, sic & eum integrum custodiens, & eo additamento, eorum qui excesserunt, usum conseruans. Hac itaque ratione exemplum est omnino ineptum & minime conueniens. Ego autem hoc quoque aduersus uos retorquebo, & quod stultè à uobis affertur, uobis ipsis opponam. Qua enim ratione dicitis ad suum faciendum officium non lędi Imperatorem: sic & Deo nihil detrimenti damniue afferetur, quominus sit & opifex & bonus, si hunc mundum transformet & transmutet, eiq; interitum afferat: non in ęternum: eum enim rursus finget ac formabit: nec rursus ex ęterno: licet enim hunc non fabricaretur, eum quidem certè qui in mente eius ac intelligentia uersatus faciebat. sic & Deus non mansit in otio, priusquam senilem hunc mundum crearet, sed cum ordine fabricatur. Quod est enim inordinatum, non Dei est, sed casus. Ac sensili quidem huic mundo, & qui uidetur, interitum afferens, est nihilo secius bonus, & in bonitate permanet. Neque enim funditus delet, nec hoc uniuersum penitus esse perdendum sua sententia decernit: sed in melius mutationem conuersionemq; perficit, melioremq; transformationem peragit. Nouam enim terram, & nouos cœlos sacra dicunt oracula. Quòd autem hoc uniuersum interire necesse est, ex eius quoque partibus, quæ in dies intereunt, facile sciri potest. Cuius enim partes intereunt, huius etiam totum eandem cum suis partibus affectionem subire quandoq; necesse est, ut dicit quidem inclitus ac diuinus Basilius: ei autem rationi assentiuntur & Stoici. Et hæc quidem mundi interitus ratio nec frangi potest, uimq; ac necessitatem affert, & est ineuitabilis, Genitricisq; necessi-

Basili

*tatibus ac uinculis, ut dicitur, circunquaq; astricta est, ut demonstrationum et rationis robur ac soliditas effugi non posit.* Ne *autem sola te ratione premamus, ad tuas quoque ipsius delitias accedemus.* Ecce *enim tibi sapientis* Platonis *opinionem exponam, qui* Timæum *componens, sic utique*
„ *de* Deo *& hoc uniuerso dicit.* Quid *est, quod semper qui-*
„ *dem est, generationem autem non habet? & quid est, quod*
„ *fit quidem, nunquam autem est?* Quod *intelligentia quidē*
„ *cum ratione comprehendi potest, semper est eodem modo.*
„ Quod *autem rursus rationis experte sensu est opinabile,*
„ *id & fit & interit, reuera autem nunquam est.* Rursus *au-*
„ *tem de opifice dicit.* Patrem *ergo et effectorem huius uni-*
„ *uersi, & inuenire est difficile: et ubi inueneris, ut eum om-*
„ *nibus eloquaris ac explices fieri non potest.* Et *rursus de*
„ *cœlo dicit.* Vtrum *semper erat, nullum habens generatio-*
„ *nis principium, an factus est ab aliquo incipiens principio.*
„ *factus est: nam est & aspectabilis & tractabilis, & cor-*
„ *pus habet.* Quæcunq; *autem sunt eiusmodi, ea generabilia*
„ *apparuerunt.* Et *rursus.* Tempus *simul cum cœlo factum*
„ *est, ut cum simul facta sint, simul quoque dissoluantur, si*
„ *eorum fiat utique solutio.* Et *rursus, omnium regem, ad*
„ *alios quos uos* Deos *existimatis, sic concionantem inducit.*
„ Dij Deorum, *quorum ego opifex, me quidem uolente à so-*
„ *lutione alieni eritis.* Quidquid *autem colligatum est, id*
„ *omne solui potest.* Et *rursus.* Quare *quoniam facti estis, im-*
„ *mortales quidem non eritis, nec eiusmodi ut non omnino*
„ *solui possitis.* Neq; *tamen soluemini, nec mortis participes*
„ *eritis, meam uoluntatem quę maius est uinculum, et magis*
„ *dominatur quam illa quibus quando facti estis, colligati*
*fuistis,*

fuistis, sortiti. Nunquid ò amice huiusmodi te uerbis incantamus, & poculenta ratione salsas aures abluere serò persuademus? An adhuc tibi pluribus carminibus opus est? Vide enim quomodo ipse quoque Plato, & natiuum nouit mundum, & quatenus factus est, & dissolui & interire, solutione necessario compositionem consequente. Quidquid enim compositum est, ei ut dissoluatur innatum est.
» Neque uero te perturbet, dicens, Si eorum fiat utique so-
» lutio, & quod mortis non eritis participes. Ait enim,
» Quidquid colligatum est, id omne solui potest: &, Non
» eritis eiusmodi ut non omnino solui poßitis. Porrò autem & ex proprio interitu cœlum nutriri dicit, cum ipso Timæo differens, & has res omnes interitui obnoxias esse agnoscit, & ea posse solutionem suscipere intelligit, quandoquidem facta sunt. Si autem Dei uoluntate hęc esse immortalia dicit, hæsitans quidem, & quid diceret dubitans, sibiq; aduersans, & secum ueluti in nocturno prælio pugnās hęc ait, Humana enim natura, quæ parui est atq; adeo nullius pretij, hoc intenta de se testificatur, se interire posse, quandoquidem facta est, An non? IAT. Videtur. CH. Si autem hęc sunt natura interitui subiecta, uix ij qui sunt natura interitui subiecti, Dij existimandi sunt. An tibi uidetur sic mundus esse Deus, qui est & natura genitus, & ab interitu non alienus, ut & ratio demonstrauit, & Plato statuit? IAT. Nescio quid dicam. CH. Age uerò magis syllogisticè disceptare aggrediamur: ad id autem assequendum, prompto paratóque animo sis uide. Hoc enim te facere, cum sis & doctus & amicus, cupio. Deum esse incorporeum & ingenitum, ab interitúque & exitio

alienum, à compositioneq; liberum fateris, an non? IAT. Maximè. CH. Mundus autem sensilis & generatus esse uisus est, & compositus, ut qui ex materia & forma, & quatuor elementis constet, ut Platoni uidetur, & proptere a natura posse dissolui. IAT. Visus est. CH. Si ergo, ò beate, Deus quidem non sic, mundus uerò sic: non est ergo Deus hic mundus. Si autem non est hic Deus, neq; ulla eius pars: ergo nec Deus est Sol, neque Luna, neque quidquam eorum quæ in cœlo mouentur. Hę enim uniuersi partes, Deiq; effecta sunt. IAT. Bene dicis. CH. Si hæ sunt itaque partes uniuersi: ostensum est autem uniuersum et genitum esse, et suapte natura interire posse. Quod autem ita se habet, à beata Dei natura seiunctum esse consentaneum uisum est. Non ut ergo Sol in Deos referendus, neque Luna, neque ullus alius, ex errantibus. IAT. Non. CH. Simul etiam ostensum est Solem non esse alicuius opificem, siquidem Deum non esse in confesso est, sed Dei opus. Solus est enim Deus opifex, atqui non sit ab alio fabricatus. IAT. Recte dicis. Sed hanc mihi solue dubitationem. CH. Quam nam? IAT. Si mundus quandoq; non erat: quomodo Deus in seipso aptè & conuenienter esse poterat? Quomodo autem absq; uniuerso esse potest? Quomodo autem erit beneficus, si desint quibus benefaciat? Deus autem cuiusnam Deus fuerit? CH. Mihi uideris ò beate, inquam ego, tanquam è somno excitatus, eorum quę nuper dixi esse oblitus, Colophonem autem, ut existimas, quęstionum nostrarum insigniter proponere. Et non consideras quod Deus benefaciens non necessario benefacit, quemadmodum neque fabricari cogitur, ut diximus.

*Sola enim diuina natura est à necessitate libera. Vos autem mihi Deum non esse sufficientem existimatis, nulliusq; egentem & perfectum, nec ullius eorum quę ab ipso facta sunt, opus habentem. Si enim absque hoc uniuerso esse non potest, maximam eius substantiæ partem, uel forte hoc ipsum totũ ut sit, hoc uniuersum ei largitur. Id enim quod aliquo eget, ad suam constitutionem, illius effectus, non autem causa fuerit. Quomodo ergo constituit ipse hoc uniuersum? Si enim ipsum, ut ait Plato, constituit, priusquam constitueretur, non erat. Non cogitat autem quod propter Dei bonitatem constitutum esse tollit, si dicatur quòd propter se, & proprij usus gratia hoc constituit, quod uestra confirmare nititur, omnia susq; deque permiscens, oratio, siquidem absque hoc uniuerso esse non posset. Si autem cum esset bonus, ea uoluit esse quę sunt, non eis egens ad hoc ut sit: erat enim ante ea ut perfectus, & nullius indigens, cum sit omnis sufficientia. Non est ergo necesse id quod factum est ei quod fecit esse coęternum. Effectorem enim effecto esse antiquiorem necesse est, & opere opificem, siquidem, quod fit, ab eo quod facit secundum est & causa et tempore, siquidem causa eiusmodi futura sit, quæ non pręter uoluntatem prætérque consilium ac propositum causa sit, ut umbrę corpus, et lucis id quod illustrat. Opifex enim quomodo opifex fuerit, si nolens id facere quod fecit, sit opifex? uel si quemadmodum umbra corpus, ita simpliciter quoq; opificem secutum est casu subsistens hoc uniuersum? fuerit autem Deus beneficus, & si ea nondum subsistant, quibus bene fiat, ut qui ea quę beneficio afficienda sunt, in se habeat, etiam priusquam ad hoc ut subsistant peruene-*

rint ea quibus benefiat. quemadmodum & genitalia dicuntur, quæ natura ad generandum apta sunt, etiam si quæ generentur nondum sint. Sic enim etiam Deum opificem esse dicimus, etiam si eius non sint opera, ut qui opificiales in se rationes habeat, & actu sit. Apud Beatum enim Deum & perfectum, & qui semper solus et bonus est, ea quę nondum sunt nec facta sunt, eo quòd futura sint, ut quæ sunt & facta sunt reputantur, & quòd is poßit in puncto temporis & minimo momento omnia ad generationem deducere. Nam & simul cum beata natura principio carentem & coæternam de ijs quæ beneficio afficienda & fabricanda sunt uoluntatem possedit. Deduxit autem quando & ijs quæ facta sunt utile futurum erat, ordóque ac ratio uoluit. & sic de ijs quę sunt, Dei uoluntas & beneficentia, non est in tempore, sicut & Dei natura. & nihil eorum quæ facta sunt, sibi unquam arripere & uendicare poterit id quod solius est opificis, eiq; separatum ac proprium. Id autem est, semper esse. Alioqui quomodo, si ambo sint & simul & semper, Deus, inquam, & mundus, huic quidem opifex, illi uero effectum fuerit? Vel quánam ratione hoc euenire poterit, ut ille quidem agat, hic uero patiatur? Quę autem est ratio, quominus contra existimemus, quod ne cogitare quidem fas est? si ambo quidem coæterni, & non Deus quidem semper est & sine principio: mundus autem initium habuit, & non semper fuit. Hic est enim ordo opificis & operis, ut & nos scire poßimus, & nobiscum si qua est alia ratione prędita natura, Quid sit opifex quidem & effector, Quid sint autem opera & effector, & quid sit quidem perfectißima & sufficientißima & om-

nium excellentißima natura & dominatio, Quid autem, quæ fiunt, & quę ab opificis facultate & uoluntate dependent, & ab eo contemperantur, & eo solo indigent, & illius mancipia sunt. Si enim simul cum opifice & semper sunt uniuersa, ubi est quod est opificis pręstantius, cum unà cum eo simul sint, & semper omnia? Quomodo autem opifex fuit eorum quę simul sunt & ei cognata sint? Vbi autem fuerit si in ijs quæ ęquali sunt honore & semper, est dominium & seruitus, id quod est in Deo omnibus pręstantius & pretiosius? Sic ergo semper est, quidem Deus opifex & beneficus. Non semper autem sunt eius opera. Sic & Deus eorum quę nondum facta sunt Deus est, ut quæ etiam in ipso sunt ante generationem. Pręsciente enim facultate omnia apprehendit, quę ad generationem deducenda sunt. Vnumquodq; autem quale uult, & quando oportet, & quam pulcherrimè se habere poterit, quadam sapientia, et arte, et opificiali facultate proponit: et est opifex, non ex singulis quę fiunt, sed ex seipso. An non eius qui morbo laborat benefactorem & medicum appellas, quando ei qui laborat opem ferre cogitat & in animo habet, etiam si suam uoluntatem nondum in opus deduxerit, cum sit suę cogitationi etiam factum paulo post adiecturus? IAT. Omnino necesse est. CH. Sic ergo (sed tamen ex exemplo eo quod pium est adsumpto, quod dißidere uidetur omitte) beneficus sit et opifex Deus, et Deus eorũ qui beneficio afficiendi & fabricandi sunt, non neceßitate benefaciens uel fabricans, neq; ut sit Deus, ea quę sunt ad generationem adducens: ex se enim habet ut sit id quod est: sed ut bonus et deus. Hoc autẽ etiã cõsidera. IA. Quidnã?

CH. *Non dicis tacentem hominem orationis esse compotem, quòd oratione uti poßit?* IAT. *Maximè.* CH. *Quid uero Pythagoras, & qui ad eum uentitabant, & qui in Italia olim philosophati sunt, orationisne facultate tibi prędití uisi sunt, quando unà cum alijs philosophabantur silentium?* IAT. *Quidni?* CH. *Ergo & Deus ó amice, nisi & Pythagora, & alijs hominibus est apud uos deterior, etiam & Deus, & opifex, & beneficus fuerit, etiam si actu quandoq; non fabricetur, eo quòd poßit semper fabricari, & quod in ea quę beneficio afficiuntur, deitatemq; participant, principij expertem uoluntatem paratámque animi propensionem habeat. Vos autem mihi uidemini, dum quod parumper absurdum uidetur uitare uultis, in malum magnum incurrere. Vt enim Deum nunquam in otio sedisse, & beneficum ex æterno fuisse dicatis, inuoluntariam eorum quę sunt causam, & non prudentia consilióque prędítam eam inducitis, & conseruum opus aduersus effectorem concitatis, & coæterna esse effecta ei qui fecit nescio qua uestra uisione apprehenditis, ea in Deos referentes, &, quod magnum est, & nomen & rem, sicut & res alias, quibus uultis tribuistis, non permittentes ut solus Deus, ipsum unum, & bonum, in omnibus & per omnia primas partes ferat, & unum sit & solum & solummodo. Si enim hic mundus est Deo coæternus, quid Deus, quatenus Deus est, est hoc mundo melior? Id autem fuerit quod sit in ęternum. & quomodo eum omnia in omnibus excellere dicimus? Et si simul Deus, simul mundus, semper autem Deus, & effecta cum effectore congenita esse oportet, ubi est quod beati Dei unum est, & ab omni esse*

relatione liberum, & extra corpoream esse naturam? Quæ enim simul sunt, ea ex eo sunt genere quæ ad seinuicem referuntur. Quæ autem ad seinuicem referuntur, ea corporeę naturę connexa sunt. Deus autem res est incorporea, & mera intelligentia. Non est ergo simul Deus et simul mundus, quoniam nec Deus corpus est, cui, quę ad se inuicem referuntur, connexa sunt. Solus est autem ingenitus & ęternus, utpote unum & Deus. Non uideo autem, quomodo in contrarias opiniones, non secus ac qui sunt ebrij, subinde circumagimini. Si enim materiam, quam & susceptricem et nutricem uos uocare consueuistis, informē figuræq; expertem, & rursus confusam, temeréque, ac inordinate se mouentem, opificem accepisse, & in ordinem redegisse, et pro perturbatione quietem indidisse, fecisseq; ac formauisse, & à priore illa formæ uacuitate liberasse dicit Plato in Timęo, cui uos fidem habetis: erat ergo ex Platonis sententia quando in uniuerso hic ornatus deerat, & non erat hic mundus, et apta ac concinna eius compositio. Si autem ita est: erit quidem materia Deo coęterna, ut uult Plato, non autem itidem hic mundus. Quod si ita habet, ea quę sunt, tempore fuisse fabricata uos quoq; fatemini, et nec Deum ex ęterno benefacere fatemini. Quod susq; deq; iactatis et circunfertis, simpliciores perterrefacientes. Ac materię quidē confusio extremáq; formę uacuitas similiter ac Deus, erit sine principio, eritq; ei coæterna, & honore ęqualis, eodemq; dignitatis gradu & eodē priuilegio eum sapiente, omniq; ex partu optimo ac prę stātissimo Deo digna censebitur, ut quę sit ingenita. forma autem, figura, et hic mundus, materię postea imposita apparebūt. Cui con-

sequens erit ut aliquando cesset & ab ea separetur figura & forma, & materia ad priorem confusionem formęq; uacuitatem redeat. Quę enim tempore incipiunt, ut tempore quoq; cessent, natura ingeneratum habent. Videtis quantę ineptiæ & quanta stultitia uestris opinatis adhærescit et concreta est, dum non uultis Deum esse substantiarum effectorem, sed solum figurarum, fabrorum, & pictorū ac ędificatorum instar, quibus nisi adfuisset materia, non potuissent artem suam ostendere. Sic et nisi Deo fuisset materia, non esset hunc mundū architectatus, neq;, ut uestra est sententia, habuisset ubi pulcherrimas formarum effectricis facultatis rationes collocasset. fortasse autem et propter materiæ inopiam, minorem quam uolebat, hunc mundū fecit. Vel si ad eius uoluntatem materia suffecit, omnē quoq; eius scientiam & opificiales rationes suscepit. Rursus eam quę temere & inordinatè mouetur, magnę & immensę eius facultati exæquatis & opponitis, si quidem omnes eius potuit rationes suscipere, & tanta esse quantam ipse uoluit. Sic eam undiquaq; Deo honore ęqualem esse orationis uestræ consequentia deprehendit: quo quid esse potest ad impietatē maius, quam, inquā, eam quę est informis, figurę̨q; ac speciei expers, Deo ęquare, non solum in eo quòd sit semper, sed etiam in eo quod sit ęqualis, ut semel dicā, facultas. IAT. Adulterina ratiocinatione hanc comprehendi posse dicunt, inquit ille, et doctrinę tantum gratia ueluti fingentem hæc Platonem disseruisse. CH. Si sola ergo ratiocinatione, eam, inquam ego, comprehendimus, & tanquam hircoceruum fingimus: erit ergo nec existens nec subsistens. Si autem ita est: Deus ergo non ex prius subiecta materia

*est hoc uniuersum architectatus, sed ex eo quod nusq̃ ullo modo est, nec erat. Genitum enim esse hunc mundũ, ordine aptaq; cõpositione prẹditũ et uisum est, et in confesso fuit: quę quidẽ ab aliquo quod adaptat eaq; cõponit fiunt, neq; enim fortuitò neq; casu fieri poßint. Sed hęc quidẽ materię fabula, et opinionis erratum, à multis nostrorũ est olim fortiter confutatum. Vnde in præsentia de eo disputare cessemus.* IAT. *Pulchre quidẽ, ô amice, id de quo cõtẽdebatur, demõstrauit oratio. Sed uide q̃ pulchre ac magnifice in eo exultẽt quod mũdus sit sine principio, fineq; careat.* CH. *Dic.* IAT. *Orbiculatã esse omniũ figurarũ perfectißimã dicit Geometria, ut quę neq; principiũ, neq; rursus finẽ habeat. Eam autẽ hunc mundũ sortiri uisus indicat. Oportebat enim optimã ac perfectißimã figuram, ei quod est eorũ quæ facta sunt prẹstantißimũ ac perfectißimũ adijci. Vide ergo, inquiunt, quomodo etiam per figuram mundum esse sine principio, ac fine carere apparet, siquidem orbiculata figura nec principium habet nec finem.* CH. *Sed ô beate, inquam ego, à me quidem & à te huius figurę principium comprehendi non potest. Sed omnis tamen circulus habet principium & finem. Accedat enim Geometra, & hanc figuram planam describat. An non ab aliquo principium incipit? certe, inquit sapiens Basilius, centro aliquo et interuallo eam circunscribens.* IAT. *Quidni?* CH. *Sic ergo hic mundus & figura ab aliquo temporali principio incepit, & antequam fabricaretur non erat, & finem habet, quando opifici uisum fuerit finem eius naturę imponere. ita longa grandisque uestra fatuitas nihil esse uidebitur, si à ratione deprehensa conuictáque fuerit.*

*Quòd enim & genitus & interitui subiectus est hic mundus, ad rationem assequendam prompto paratóque animo sis uide, & hæc ueritatis opinio tibi fiet apertior.* IAT. *Consequor.* CH. *Siquid est ingenitum, est etiam ab interitu alienum.* IAT. *Apparet.* CH. *Et siquid ab interitu est alienum, est etiam ingenitum.* IAT. *Necesse.* CH. *Atqui contrà, siquid est genitum, illud est interitui subiectum est illud quoq; genitum.* IAT. *Pulchrè dicis. Est autem mundus interitui subiectus, ut eius partes indicant, ergo et genitus apparet. Prȩterea autem, si quod est ab interitu alienum, ingenitum esse diximus, & quod est ingenitum, ab interitu alienum: genitus est autem hic mundus, quoniam omne corpus est genitum. est ergo sic mundus interitui subiectus. Et rursus, si eius qui est interitui subiectus, nihil ab interitu alienum dicitur: & scapham primum in Libya ȩdificatam esse dicunt, & nullius est negotij quot ab hinc annis unusquisque apparuerit repetere & enumerare: Si ergo neque terræ concauitates repletæ sunt: neque salsedo totum mare occupauit: nec id est alienum ab interitu, cuius partes interitui subiectȩ sunt. Nec id sine principioq; caret, quod habet definitam naturam: neq; æternum est, in quo & artes & homines à temporis initio constituti sunt: nec prouidentia in eo quod ut sit ex se non habet. factus est ergo mundus. Sin autem ita est, & interibit: cùm ambo simul hȩc sortitus sit, ut & genitus sit & intereat. Talis fuit mihi disputatio cum eo qui artem medicam profitetur, qui in omni scientiȩ genere se supra omnes Nili accolas iactitat. Vt autem te oppiparè lautéq; accepto, discedam, & nihil eorum quȩ ad spectaculum per-*

tinent omittam, alteram tibi meam cum Philosopho congreßionem narrabo. Altero enim die, cum adesset discipulorum cœtus, aliud nobis opus Aristotelis exponebat, quod ille nobis de uirtutibus moralibus conscripsit, et cùm ego ex more interrogarem, et ea quę dicebantur, prompte audirem, repente de Idęis mentio illapsa est. Dicebam autem ego Aristotelem ei quod dicebatur non assentiri, sed & de ea re cum Platone contendere, quemadmodum et de multis alijs opinionibus: neque enim ambos illos uiros de rebus uel maximè principalibus, & quæ eorum maximè opiniones continent conuenire, & illius, Valeant Ideæ: sunt enim canoræ nugæ, memineram, quod à Stagyrita dictum est. Ille uero eorum inter se pugnam contegere conabatur. & hinc nescio quomodo de uniuerso disputatio renouata ac relata est. Affirmabat ergo, perinde ac nihil de eo pridie dictum esset, mundum esse Deo coæternum. Ego autem ad eum acrius et promptius atque adeò asperius intuens, & mihi esse oblatam disputandi occasionem ueluti in lucro ponens, eam iuueniliter arripui, & hanc quæstionem proposui. CH. Dicis Deum, inquam ego, primam & solam causam, omnibus quæ sunt pręstare, et non conferendis differentijs in quacunque re excellentiorem esse? AM. Et quis his contradicit, inquit ille. CH. Omnium autem unum esse dicis et esse in ęternum. AM. Quidni? CH. Si ergo, inquam ego, hoc non inuitus confiteris: omnibus autem & in omnibus Deum primam & solam causam antecellere non inficiaris, unum autem omnium dicis esse, esse in ęternum: in hoc ergo ipso pręstare & hoc uniuerso meliorem esse Deum necesse est. AM. Maximè, in-

τερετίσματα.

ἑρμαίῳ

quit ille. Deus enim est æternum efficiens: mundus autem id quod fit in æternum. Tanta est ergo inter utrunque differentia, quanta inter id quod agit, & id quod fit, idque quod fabricat & id quod fabricatur. CH. Sed non quatenus ille quidem agit, hic uero patitur, dicimus mundum ab uniuerso differre, neque hoc probare conata est oratio: hoc enim est omnibus in confesso. Quod autem fatentur omnes, probare, nunquid fatuum fortasse fuerit, & non uiri docti & sapientis? Non ergo in eo quod est agere et pati, nunc nobis propositum est, Dei ad mundum differentiam, Deiq; incomparabilem excellentiam indagare & perscrutari. sed quatenus est æternus, & nullam cum eo habet societatem, in eo quod est, semper esse. Si autem ita est, te rursus adhuc interrogo. Non dicis esse ęternũ id quod semper est? AM. Ita. CH. Deus autem cum sit ęternus, is est qui semper est. AM. Ita dico. CH. Iam uerò & mundus cum sit æternus, tua quidem sententia is est qui semper est. AM. Maxime. CH. Si ergo dicis esse æternum id quod semper est: uestra autẽ sententia id non solũ Dei est, sed etiam mundi, ubi est quod est Dei excellentius, et quòd is absq; omni comparatione uniuersum transcenderit in eo quod semper sit, quod est esse ęternum, siquidem non ipse solus hoc habet, sed etiam mundus hanc sibi quoq; autoritatẽ tribuit ut sit æternus, uestra quidem sententia eodem priuilegio, eodemq; dignitatis gradu dignus existimatus. An nõ cogitas non oportere eam qui sibi philosophiæ professionẽ uendicat, nimium Sophisticè ac contentiosè disserere, & Cadmęam, ut dicitur, uictoriam referre cupere? Hęc ergo dixi quidem ego, ille uerò tacuit, lapidibus et piscibus ma-

*gis mutus. Videbat enim eos qui adstabāt nostra admiran-
tes, Christianorumq; demonstrationes suspicientes, & in-
ter se inuicem susurrantes, quod iuueniles admodū, firmęq;
ac ualidæ essent, tuncq; nonnullos eorū, quos iam olim suis
nugis ineptijsq; repleuerat, exire, et non ea quę dicebantur
audire iußit, ne ut ego quidem existimo à ratione et demon
stratione nonnihil afficerentur, & Christianis fauere sta-
tim persuaderentur. Ego uerò institutā disputationē perse
quens, Hoc quoq;, inquam, mihi responde, ò beate.* AM.
*Quidnam?* CH. *Dicisne unicuiq; eorum quę sunt esse ali
quid proprium ueluti formam figuramq; tribuēs, quod soli
et semper adest, ut homini esse ridentem, equo uero hinnien
tem?* AM. *Quidni?* CH. *Quærere ergo necesse est quid-
nam sit maximè propriū Dei discrimen quo internoscatur,
quòdq; & soli & solum & semper adest. Quid autem fue
rit maxime uenerandum, beatæq; naturę conueniens, q̃
eam in ęternum esse opinari, solamq; in immutabilitate,
nullius eorum quę facta sunt indigentem, eò quod perfecta
sit & per se sufficiens, & quod semper similiter se habeat,
sitq; simplex & uniformis, & neq; ullum habeat princi-
pium neq; finem: eamq; cùm fabricatur propter suam solā
bonitatem fabricari. alia autem esse et generata, & muta-
bilia & habere temporale principium pronuntiare, ut sit
solius Dei quod ęternum est, cùm ei connectatur & ipsum
semper esse, & solum, & immutabiliter esse. Nihil ergo, ò
Gręcorum philosophia, (tecum enim tanquam cum anima-
ta loqui incipio) eorum quę conuerti ac mutari & omnino
moueri ac quiescere suapte natura possunt, Deo esse coęter
num existimaueris. Sic enim quod est eius solius proprium,*

& solum, & semper, eiusq; dignitatis ac autoritatis est quidam ueluti Colophon, ei non auferemus, ei aliquid eorum quę conuerti possunt, & uere non sunt, socium temere adhibentes. Sed ut tibi, ò uir egregie, etiam ex ijs quę tibi sunt nota ac familiaria, demonstrationes adducam, interrogabo & hoc, si mihi ad rogatum responderis. AM. Sed hoc faciam, inquit ille. CH. Videntúrne tibi ea quę simul sunt ex se inuicem posse causam habere efficientem? AM. Nequaquam. CH. Dicisne coæterna esse ex ijs quæ simul sunt? AM. Necesse est. CH. Mundum autem esse Deo coęternum? AM. Quidni? CH. Vide ergo quid omnino colligitur. Si enim mundus est Deo coęternus: coæterna autem sunt ex ijs quę simul sunt: Quę autem simul sunt, non possunt ex se inuicem causam habere efficientem: mundus ergo efficientem causam ex Deo habere non potest, si non id quod fit, umbra quædam futurum sit, neque ut ad existendi rationem substantiæ complementum afferens, quod efficitur à causa assumendum sit: quemadmodum in sole & lumine, uel ut eiusdem cum eo substantię, ut in patre & filio: sed causa quędam efficiens futura sit, prudentiaq; ac consilio prędita, & quę sua sponte prudensq; ac sciens sit mutatę substantię effectrix. Vbi ergo locum habebit, ò uir præclare, Deum mundi nostri, qui est ei coæternus, effectricem et constitutricem causam pronunciare, cùm mundi sit alia pręter ipsum substantia, uel simul esse mundum & Deum ex æterno dicere, siquidem ea quę sunt coęterna recte dicimus esse ex ijs quę simul sunt: quæ autem simul sunt, non posse ex se inuicem efficientem habere causam. Duorum enim alterum neceße est, ut commu-

nes utriusq; confeßiones, & dialectica affirmatio & negatio ostenderunt, uel si dicamus mundi substantię Deum esse effectorem, non esse Deo coæternam sensilem substanstiam dicere: uel si hoc admittamus, effectricem uniuersi substantiam negare. an non uidetur. AM. Videris omnino uerum dicere. CH. Eandem ergo rursus orationem pertractemus, Laconicam breuitatem, quod eius fieri poterit, imitantes. Quę enim pulchra ac honesta sunt, meditatione ac exercitatione continua, firmiora ijs qui quærunt esse solent. Effectorem & autorē uniuersi esse Deum dicis an non? AM. Maxime. CH. Mundum Deo esse coęternum existimatis? AM. Ita. CH. Coęterna sunt ex ijs quæ sunt simul? AM. Quidni? CH. Quę simul sunt, non possunt ex se inuicem causam habere effectricē? AM. Non. CH. Mundus ergo cùm sit uestra sententia Deo coęternus, efficientem ex Deo causam habere non potest. Atqui Deum esse efficientem mundi causam dicebamus. AM. Nę. CH. Non erit ergo mundus Deo coęternus. Quicquid enim effectum est, ab eo qui fecit & causa & tempore secundo loco est. AM. Sed si hoc, inquit ille, dicemus, uide in quantam absurditatē incidemus. CH. Dic. Te enim lubenter interrogauerim. AM. Si non ea quę sunt esse Deo coęterna dixerimus, Deus ergo uoluit ea quę sunt subsistere: et fuit tempus quando de ijs quę sunt uoluntatem non habuit. Quod si tempore consilium cœpit, necessario quoque aliquando contrarium consilium capiet. Sin autem hoc ita habet: non amplius de Deo conueniens existimatio seruabitur. Consultare enim in tempore, & diuersum consilium capere, eum inducit mutabilem,

in quem eiusmodi affectiones cadunt. CH. Atqui non est omnino necesse ô amice dicere Deum de eorum quę facta sunt constitutione consultare; etiam si non dicatur eorum natura nullum itidem ac Deus principium habere, eiq; coęterna esse: sed principij quidem expertem de ijs habuit uoluntatem, ut qui sit bonus & Deus: Constituit autem quando ijs quę fiebant utile futurum erat. Deinde et consultare, si de hominibus quidem dicatur, conuersionem ac mutationem nobis intelligendam ac cogitandam exhibet. In Deo autem non est humana consultatio, quoniam nec Deus homo est. Conuenienter ergo ijs in quibus inest naturis, intelligendum est consultare. AM. Rectè dicis. CH. Fuit & nobis aliquando de principali beataq; trinitate collocutio. Volebat enim scire philosophus, quomodo eandem & Trinitatem & unitatem esse diximus. Hæc enim inter se nullo modo conuenire dicebat. Ego autē ad ea, dicimus, inquam ô amice, Trinitatem esse in unitate, et unitatem in Trinitate, & quòd tres quidem sint hypostases siue subsistentes personę, una autem substātia. Eorum enim quę sunt principiū, genitalis natura, exuberans bonitas, fons uitæ, lux intelligens, ipsum & bonum & unum, prima causa, qui est, & quod uere est et quod semper eodem modo se habet, tanq̃ & mens & pater, rationem genuit, non quidem prolatitiam, nec rursus quæ disponi poßit, sed substantialem & in eo subsistentem, & quæ est eiusdem cum eo substantię, & ex ęterno et coęternam, ut quę sit eiusdem cum eo diuinitatis: et sit eadem cum ipso, non quidem hypostasi seu subsistente persona, sed tamen substantia: et alteram ex æterno subsistentem personam producens eiusdem et secum

& cum

& cum ratione substantiæ, quod quidē Spiritum sanctum diuina uocant oracula, unà cum rationis et filij, et sapientiæ generatione absq; ulla fluxione et incisione, et exinanitione, (Hę sunt enim corporū affectiones) supra ęuū & tēpus, et omne interuallū quod cogitari potest. Vnus autē est cum ratione, et opifice, et sapiētia, et diuino spiritu, ut pote ad eandē causam relatis, illo quidē generando: hoc autem, procedendo: siquidē sapientia & ratio, eorū quę sunt constitutioni, et opificio, substantiæq; dationi pręest: Diuinus autē est spiritus, qui omnes ratione et intelligētia prędita substantias inspirat, earumq; substantiā perficit. Rationis ergo et sapientiæ patrē, et Sancti spiritus productorem, primam causam et principiū, dicimus esse tpis expers principiū diuinitatis, quę in filio et Spiritu sancto consyderatur, quēadmodū dicit noster Theologus Gregorius. Sic beata et maximè principalis trinitas est et trinitas & unitas: et nec ad ratione carentē ac gręcā multitudinē diffunditur. est enim unitas: nec ulla hypostasi malignè ac Iudaicè includitur. est enim trinitas. AM. Ergo subsistentibus, inquit ille, personis, et numero, tria sunt hæc, sed unum substantia. CH. Maxima uoce exclamauit, et collaudauit auditorū conuentus cum quadam uoluptate et gratia. Hoc enim ipsum, quod ostendere nostra conabatur oratio, philosophus collegerat & concluserat. Ille uerò risu quodam ualde Sardonio subridens, cum nōnullo rubore conticuit. Hę mihi tres cum illo fuēre congreßiones. Duæ quidem de cœlo et Deo, ꝙ hic mundus non esset Deo coęternus. Vna autē de beata ac principali trinitate, siue triplici unitate ac monade. fuerunt multę quoq; aliæ et de nostris et Gręcorū opinionibus: sed quoniā hę ad hoc nostrū propositū

institutumq; non faciunt, de his in prǫsentia tacere mihi melius uidetur. Vis ergo ò amice cùm his quæ dicta sunt tibi satis fecerimus, & qui cum Philosopho fuerunt sermones audieris, domum reuerti? B. Nequaquam ò amice, Etenim ipsum dubitationis Colophonem uolo te ex meo animo deturbare. Argutus enim & subtilis & sapiens orator es. A. Sed ualeant, inquam ego, huiusmodi sermones. Neque enim laudem captantes, nec nos ostentantes, hęc disseruimus, sed de bona tibi paranda habitudine ac sanitate solliciti. nullam autem laudis, sed amicę ueritatis, et ecclesiasticorum decretorũ, doctrinarumq; rationem duco. Ambitiosis ergo, & ijs qui gloriæ cupiditate tenentur, laudibus relictis, Dic quid uis, & quid tuum animũ in ueris quę in confesso sunt, opinionibus agitat ac conturbat. B. Dicebas, ò uir bone, hũc mundũ post ea quę mente percipiuntur à Deo esse fabricatũ, quando oportebat illũ ea quæ sunt aggredi. Libertate enim et bonitate, et non necessitate Deũ fabricari. Sic & Deum in actione etiã ante sensilis mundi fabricationẽ manere dicebas, ut qui quę mente percipiuntur, operaretur, & in intelligentes naturas seu mentes sua primum beneficia effunderet, & ipsas sua gratia impleret: & eum alioqui nullius eorum egere quę à se facta sunt. Ex seipso enim esse opificẽ, & non ex ijs quæ facta sunt: Per se enim sufficiens et perfectus Deus est: an non hęc asseruisti? A. Maximè. Acri perspicaciq; es ingenio, magnáq; es memoria prǫditus, & nihil eorũ quę in disputatione uersata sunt te effugit. B. Ludis, ò beate, in referendis laudibus: & ipse quidem non uis laudari, sed laudare, licet et æqualitatem & quod iustum est in uita honores. A. His, ò uir bone, in præsentia prętermissis, propositã contẽplationem

insequamur. Dic ergo quod tua oratio declarare aggressa erat. B. Dicebas, inquit ille, ò beate, post eum mundū qui intelligentia solūmodo percipitur, sensilem hunc mundum factum esse, quando etiā in hunc, interitū cadere, quatenus factus est, aperuisti. Deum autē in propria bonitate manere, nec eum ullo damno detrimentóue affici, licet mundus interiret, elegāter admodum ac fortiter tua demonstrauit ac pugnauit oratio. Hoc quoq; à te dictum est, quòd necesse esset transformari mundum, ac immortalē effici, & eum aliquam in melius conuersionē ac mutationē subire, præsentiq; constitutione altiorē, sanctioremq; ac diuiniorem transfigurationem suscipere. An non hęc dicebantur? A. Maxime. B. Age ergo mihi ad interrogatum responde. A. Quodnam? B. Si Deus hunc mundum est immortalem effecturus, & in melius effecturus & reformaturus, quænam est ratio quòd non eum talem ab initio fecerit, sed nescio quanto post tempore eum immortalitate induat, Vel enim propter eius quod pulchrū ac bonum est ignorationem, eum talem non fecit, qualē est aliquādo facturus, tanq̄ pœnitentia ductus: uel non poterat: uel, quod nefas est dicere, inuidiæ perturbationē minime effugiet. Longè autē à beata natura est ignorantia & imbecillitas, & inuidia ac pœnitentia. Quid habes quod possis ad hæc dicere? A. Nec propter ignorationē eius quod pulchrum ac honestū est, ò uir bone, ab interitu alienū non fecit: neq; ut qui non posset: nec ut qui inuidiæ uitio laboraret. Extra enim id quod solum bonum, et ipsum per se bonum est omnis est inuidia: extráq; potentiam imbecillitas, & sapientem atq; ipsam adeò sapientiam ignoratio, & id quod est immutabile, pœnitentia. sed oportebat ò beate, regionem ijs qui illam

essent habitaturi, esse conuenientẽ, et non habitaculũ ab ijs qui in eo degũt permultũ discrepare. Necesse est ergo, cùm nos interitui subiecti facti simus, indiesq; effluamus, etiam quę circa nos sunt, esse eiusmodi: rursus autem cum ad immortalitatẽ procedemus, eadẽ quoq; consequi. An non tibi uidetur simile simili delectari, eiq; esse amicũ, et simul cum eo nutriri? Hoc enim et ex prouerbio audisti, poëtęq; te dictum hoc docuit. B. Intelligo. A. Sic ergo hic mundus, qui multiplici plantarũ ac arborũ, omniumq; formarũ genere, et animaliũ diuersitate, et inumerabili figurarũ multitudine uariatus est & exornatus, & his omnibus à Deo decoratus ac illustratus: quiq; præterea ratione præditas habet naturas, nẽpe homines in eo uersantes, propter quos uel maximè mundus à Deo factus est, et siquis eos solã esse causam propter quã mundus factus est, esse dixerit, is non aberrauerit. Hic ergo mundus fit sibi similis, cõcordiamq; ac conuenientiã cũ partibus amplectitur. Oportebat enim eum ita esse cõpositũ, ut non omnino dissideret, sed cum ijs qui inhabitant, haberet aliquam utcũq; similitudinẽ. Quæ autẽ esset similitudo, si, cum illa quidẽ et gignantur et pereant, et tẽpore ad hoc ut sint aditũ sortiantur, & paulo post intereant, (talia enim sunt quę in generatione interituq; consistunt) esset ipse immortalitate à Deo afficiẽdus? Quomodo autem oculi qui interit uisionẽ susciperent, & alios etiã sensus recipere possent cœlũ, et quę in cœlo mouentur, si essent immortalia et ab exitio et interitu aliena? Simile enim simili adiũgi, et ratio et antiquorũ doctrina, et ipsius etiam actionis experientia ostendit & docet. Sed quandoquidẽ opificis beneficio ac prouidẽtia, immortalibus acceptis corporibus, et omni mutatione superioribus,

ijs ipsis cum quibus egimus et in hanc uitã acceßimus,(neq; enim nos qui sumus figmenta ratione prędita,ęterno interitu bonus deus omnino multauit) rursus reuiuiscemus,oportebat et quæ circa nos sunt rursus esse talia,qualia sunt & nostra corpora,gloria et immortalitate referta,et ab omni conuersione mutationeq; libera:ut simile simili iungatur, et ab eo attingatur. Hæc est ratio,quòd non ab initio hoc uniuersum,immortale exitijq; et interitus expers à Deo factum est. B. Dubitationẽ dissoluisti mihi ò amice. Si enim cœlos quoq; immortales facturus erat, cur differt beneficiũ,et cur non simul cum generatione omnia fecit immortalia? A. Audi ergo et tu ualde pulchram orationẽ,quam Moses quidem diuinus Propheta ac legislator conscripsit. Huius enim uniuersi opifex et effector, cùm post cœli,& terrę,et maris,Solisq; et Lunæ,et astrorũ,et eorũ quæ in cœlo,terraq;,aëre et mari degunt,generationẽ,hominẽ fabricaretur. Oportebat enim,tanq̃ Regi et conuiuæ,ab omniũ rege,conuiuijq; instructore,regiã,et conuiuiũ,et quę ad conuiuiũ pertinent,esse pręparata:et deinde sic deligi, et in terra regem statui,bonorumq; conuiuã,quę magnus conuiuij dominus apposuit. Bonus ergo effector cum hominem fabricaretur: animamq; intelligentia præditã, quam suam ratio nouit imaginẽ, sensili corpori coniungeret & colligaret,et ex alto immortalitatis semina per immortalẽ animã corporibus insereret, ut boni beneficiũ ac contẽplationẽ uel in sensilia sentirent,et per intelligentia prędita substãtię mixtionẽ ac contẽplationẽ,huius quoq; esset particeps:eum libera arbitrij potestate prędituũ fecit, & à necessitate liberũ, suiq; iuris ac solutũ. Hoc est enim ratione prędite naturæ maximũ indiciũ ac signũ,et superni regni

imago ac imitatio, hocq; immortalitatis prçmiũ, legẽ scilicet posuit ut Dominũ cognosceret, nec se sine rege ac domino esse sciret, etiãsi eorũ quç in terra facta sunt, rex factus sit, eius qui eum regẽ fecit beneficio. Res enim admodũ pulchra est, seruitutis agnitio, quæ superbiã, arrogantiã, fastum ac insolentiã exterminat, quod est primũ ac ultimum malũ, & quæ feroces omnino spiritus coërcet, et Delphici oraculi dictũ, quod est, nosce teipsum, in memoriã reuocat. Contẽpta autẽ lege, et neglecto legislatore, homo ab immortalitate, cuius, si legẽ seruasset, fuisset particeps, excidit, & propterea dissolutione multatur. Neq; enim quod malũ est, esse immortale oportebat: & hoc quidẽ est regis & legislatoris, & opificis beneficiũ. Malum autẽ fuerit, regaliũ iussorũ despicientia & contẽptus, & benefactoris paruipensio, quç ingrati animi actione teneatur necesse est. Hunc cœpit homo exorsum aliorũ quoq; uitiorũ confusç multitudinis, impudentiçq; ac uoluptatũ intẽperantiç examinis. Hæc est eius solutionis ratio. Reformationis autem & immortalitatis causa non est alia, q̃ Dei bonitas, & in eum qui ceciderat misericordia, & insignis humanitas. Eius enim quod finxerat opifex misertus, idq; ab improbitate uinci indignatus, uas quidẽ quod malũ susceperat, dissoluit, sed ab improbis habitibus typisq; liberatum, rursus fingit, & de integro excudit: ut neq; immortaliter ęgrotemus, nec rursus çterno perenniq; interitu figmentũ condẽnetur, quod ad immortalitatẽ à principio factũ fuerat, sed quoniã solutionẽ improbitas præcesserat, ac legis contẽptus, oportebat rursus uirtutẽ, et legis custodiã, et à peccato alienationẽ reformationẽ præcedere. Et ꝓpterea ò beate, ipse Deus & legislator, et rex, fit homo, et manet

Deus. & ipse naturę opifex naturę morbis uitijsq; mede-tur, cùm purã in se liberámq; naturã nec ullo dãno detri-mentóue afficiendã, et nullo modo pręterea perturbandã, nulliq; peccato subiectã ostendisset, suóq; sit figmento uia immortalitatis, & dux, & ut semel dicã, principiũ & ar-gumentũ, suo corpore suscitato immortaliq; effecto: quod ex nostra natura ac substãtia ipsa ratio et opifex sibi unijt cùm humana intelligẽtiáq; prędita anima, scilicet ut omnẽ rursus naturam excuderet. Qua enim ratione cùm primus homo dissolutionẽ & ad breue tempus interitũ suscepisset propter peccatũ, uniuersum genus eadem pœna effectũ est: eodẽ modo per eundẽ opificẽ, qui & Deus mansit, et homo factus est, in quo nullã sui speciẽ nec motum ullum inuenit improbitas (erat enim fons uirtutũ & bonitatis, & immu-tabilitas, et peccandi uacuitas) immortalitatis argumentũ, et ab interitu remotionis pacta conuenta ad uniuersum ge-nus transmittentur. Habes ò amice causam cur nos non sta-tim ab initio immortales facti sumus. Ipse itaq; opiniones inter se ex aduerso statuens, & inuicẽ conferens, earũ diffe-rentiã considera, & intellige. Illi hunc mundũ opifici co-ęternũ existimant, non permittentes ut Deus omnibus quę sunt, per omnia, et in omnibus, pręstet ac antecellat. sed in eandẽ existimationẽ deducunt eum qui circũscriptus est, et materiale corpus habet, cum incorporea et quę non potest cõprehendi natura, si quidẽ, ut ait Basilius Magnus uerita-tis magister, eum qui est natura interitui subiectus, & est omnino dissoluendus, ut indicant partes & compositio, siquidem quod est compositum omnino dissoluitur, ei ęqua-lem faciunt qui & ab interitu & ab exitio est seiugatus, & qui uerè est, & semper similiter se habet, eundé et eius

partes in Deos referunt, stultitiã suã et imperitiã ostendẽtes: prouidentiáq; ac uoluntate Deũ non esse opificẽ permittunt inuoluntariã ac non spontaneã mũdi causam eum esse per uulgo iactatũ exemplũ existimantes. Rursus autẽ, proprijs, ut est in prouerbio, pennis capti sunt. Eum enim qui à bono factus et recte cõpactus est non interire oportere dicẽtes, cum de singularibus interrogantur hominibus, quorum causa mundus maximè factus est, quomodo fiant et intereant à bono Deo facti & recte compositi, ut qui boni Dei sint opera, concrescũt, et lapidibus ac piscibus mutiores euadunt. Et rursus cum fateantur mundũ ex se immortalitatẽ non habere, ut enim quendã ex ijs qui ad Platonis mysteria introducunt, iactantẽ audiui, si cogitatione separetur ab uniuerso opifex in eo q continet, et fabricata corroborat, et ea quę ab illo facta sunt amplectitur et cõprehẽdit, peribunt et intercident omnia, eritq; uniuersi internecio et interitus. Hęc cum sic fateantur, Solem tamen et Lunã, septémq;, quę dicũtur, errantes stellas, atq; ipsum adeò cœlũ, Deos esse dicunt, eorumq; quæ sigillatim administrãtur autores, eos in quos cadit sua ipsorũ natura interitus, Deos ipsos nobis fingentes, magnúmq; ac omni contẽtione defendendũ deitatis nomen atq; adeò rem ipsam iniuria afficientes, purámq; ac sincerã, et quę lędi nec offendi potest, naturã, ad exitiũ interitũq; defendentes. Hæc sunt quidẽ illorũ opinata, uel insanæ potius de uniuerso narrationes et cõmenta, effrenatáq; erroris licentia. Nostra autẽ est de ijs quę sunt opinio, et hæc est ueritatis oratio. Deum solũ ingenitũ, & natura immortalẽ, principij q; expertẽ et æternũ confitemur. Hunc autẽ mundũ qui est sensilis & uidetur, factum esse post eorũ quæ sunt fabricationẽ. Ordine enim

et consequẽtia fabricatur opifex,ut in ijs quę sunt nihil sit inordinatũ. Quod est enim inordinatũ,non Dei est,sed casus. Sic Deũ quidẽ esse ex seipso opificẽ:non autẽ ex ijs quæ facta sunt:non mansisse autẽ in otio ante sensilis mundi fabricationẽ,utpote qui quę in mente tantũ ac intelligentia consistũt agent dicimus:nec eum ad fabricandũ necessariò accessisse:nec ei rursus mundũ ex æterno extitisse,eiq; consequentẽ fuisse,ne eum inuoluntariã ac non spontaneã uniuersi causam inducamus,dũ ueluti naturalis quędã superfluitas ac excrementũ,uel appendix,aut additamentũ,introducitur:sed exuberanti ac infinita sua bonitate ac uoluntate,eorũ quę sunt esse opificẽ confitemur. Mundũ autem interitui subiectũ esse scimus. factus enim est. Interire autẽ dicimus non omnino,nec in æternũ, propter eius qui fecit bonitatẽ,sed in pulchrius ac melius transformari, & cum nostris corporibus immortalẽ fieri post generalẽ conclusionẽ. Nihil enim eorũ quę propter se à bono facta sunt, ęterno interitui tradetur. Ac breuis quidẽ interitus ad ratione prędit orũ beneficium à bono est introductus,ne immortaliter ęgrotaremus. Simul etiã per breuẽ eorũ interitũ ac transformationẽ discunt mentes ac intelligentię,ꝙ non propter suæ naturę necessitatẽ, sed per opificis donũ ac beneficiũ immortales factæ sunt,et non ꝙ secũdus locus deesset,in primo collocatę sint:ut ad primũ principiũ et solum,ipsum scilicet bonũ et unũ aspicerent, et benefactoris

*talia efficit, & nec ut nos quid sit mortale esse nesciamus, nec ut in eo permaneamus permittit, ut dicit quidam ex nostris sapientibus. Sensilium itaq; solutio non affert perpetuum uniuerso interitum. Esset enim id reuera à Deo alienum, et non eius qui bonus est uel ipsum potius bonum. Sed machinata est magna & in primis uaria Dei sapientia per corporum humanorũ solutionem soluere interitum, quem introduxit uitium, & mortales immortalitatis facere participes: ut homines postq̃ interitus & dissolutionis periculum fecerint, dissolutionis causam odio habeãt. Huius autẽ esse causam uitium dicebamus. Rursus autẽ ut et per huius uniuersi solutionem et reformationẽ, certioremq; ac magis decoram mutationẽ, poßint intelligere q, ipse erat qui & ab initio eorũ quę uidentur, pulchritudines ac magnitudines fabricatus est, & q, oporteret per ipsorũ contẽplationem optimũ artificẽ suspicere & admirari, & non ijs quę ab eo facta sunt diuinitatẽ tribuere propter pulchritudinẽ numerosumq; concentũ & aptam harmoniã. & sic eos iustißime puniet qui eius opera ac effecta in Deos referunt, & solum eius dominiũ esse negant, & soli æterno mundũ coęternũ esse cõminiscuntur, et q, creatũ est aduersus eam qui creauit excitant: ut dicit magnus ueritatis magister Gregorius. B. Recte dicis & opinionibus in summã breuiter collatis, earum per contrapositionẽ differentiã ostendisti, & quantũ lux differt à tenebris, tantum uestras opiniones græcis fabulis antecellere docuisti. Hoc autẽ mihi ô beate declarari & cupio & rogo. A. Lubenter tibi gratificabor quicquid me interrogare uolueris. B. Deum sui iuris ac potestatis hominem fecisse dicebas. A. Certe. B. Ipsumq; legẽ ab opifice accepisse, legẽ autẽ non curasse, et*

ριλαφὴς

legiſlatorem contẽpſiſſe. A. Maximè. B. Et hanc ſolutionis cauſam eſſe dicebas. A. Etenim res ita habet. B. Quid ergo neceſſe erat ò bone, naturã libertate honorare, & liberũ arbitriũ donare, per quod erat ad interitũ deturbandus, et hoc uniuerſum etiã unà detrahẽdũ. Vel quomodo cũ legis contẽptus, quẽ etiã ſolutionis cauſam fuiſſe dicebas, à mundi fabricatione ſecundo loco fuerit: ipſe quidẽ mundũ interitui ſubiectũ facere anticipauit. A. Prçſciẽte ò bone, facultate cognoſcebat opifex q, legẽ contẽpturus, mortalisq; homo eſſet futurus. Mortalẽ ergo mundũ ad habitationem eius accõmodatũ prius ei conſtituit. Ego autẽ etiã tibi reſpondebo, cur homo ſui iuris, liberáq; arbitrij poteſtate prǽditus factus fuerit. Tu autẽ ſi quid aliud habes interroga. B. Dic prius quod eſt propoſitũ. A. Dico. Opifex, ò amice, cum ſit bonus, uel potius ipſa per ſe bonitas et bonũ, uult noſtrã naturã neceßitati non ſubijci, ut non ſecus ac animantia ratione carentia, quocũq; ducitur ſequatur. Prçterea autẽ quod bonũ & honeſtũ eſt eſſe noſtrũ: non autẽ uinculi naturæ: ut cùm uirtutẽ et quç ſunt honeſta, ſponte exerceamus, laudibus & prçmijs digni iudicemur. Neque enim neceßitate expreſſum bonũ illi gratũ et acceptũ eſt, ſed quod à prudẽte ac ſciente ſpontéq; et capto cõſilio fit: An tu famulũ tuũ laudas, ſi cum à te uinculis conſtringitur & flagellis ſcinditur, aliquid facit eorũ quæ iubetur,


*desyderans, et eum solũ ex nobis fructũ percipiens q̃ seruamur, ut ait inclytus ac diuinus Clemens. Qui ergo liberum arbitriũ perimunt, & q̃ non liberi arbitrij expertes facti sint, opificẽ accusant, nihil aliud q̃ rationis expertẽ appetitionẽ ac naturã, rationi cõpoti præferunt, inuoluntariũ impetũ uoluntario motui et ex ratione uirtuti præferentes, et propemodũ ægreferentes q̃ non pecora, et simiæ, et cameli, et asini facti sint.* B. *Heu ò beate, ut me et asinũ et simiã et camelũ, et cætera quibus rationis uacuitas discernitur, propter meã dubitationẽ feciſti.* A. *Ludis ò bone. At ego non prudentis nec sapiẽtis esse ducebã in rebus tã magnis ludere.* B. *Vrbane ac facete loquens, non autẽ irridens hæc dixi. Ea enim quæ dicta sunt intelligo, et opifici gratiam habeo, q̃ me et rationis et liberi arbitrij potestate præditũ effecerit. Expostulabo autẽ nõ cũ eo, Quid enim homo cum sapiente, et omni ex parte bono ac honesto expostulauerit? sed cum hominũ stultitia, peruersóq; consilio, q̃ uoluptatẽ uirtuti præferant, ab ea inescati, stultéq; se gerentes, quẽadmodũ siquis fricare magnifaciat, et à uoluptate deceptus, totũ corpus unguibus dilaniet de secutura scabie nihil cogitans.* A. *Pulchrè dicis, et se rectè habet similitudo. Si quid autẽ aliud habes ĩterroga.* B. *Hæc sola mihi dubitatio superest, quomodo hominũ corpora in partes innumerabiles frustráq; diuisa et à feris et ab ijs quæ in mari et terra eis perniciẽ afferunt: sæpe autẽ etiã penitus cõsumpta et ꝑdita, reuiuiscere dicimus & resurrectionẽ assequi?* A. *Ego cum uulgo iactatã hanc quæstionẽ dissoluero, disputationi finem imponã, nisi aliqua alia dubitatio animũ tuum perturbat.* B. *Hæc sola animo meo insidet, infixáq; est dubitatio. Scito enim te multis ineptis opinionibus &*

*erroribus animũ meũ repurgasse.* A. *Ipsi opifici, ò bone, gratia agenda est, qui hęc dicere dederit. fac ergo sis parato et attento animo ad audiendum q̃ pulchre fieri poßit, et sit rationi cõueniens, corporũ resurrectio.* B. *Dic:* Te *enim lubenter audiã.* A. *Hominũ corpora ò bone (aliquãtisper enim naturaliter differere oportet) ex quibúsnã cõponi dicemus?* B. *Ex quatuor elementis, et naturaliũ philosophorũ ratio asserit, et ueritas ostendit.* A. *Hęc autem dissoluta ad quid redire dicemus: an non ad illa ex quibus sunt cõposita?* B. *Omnino necesse est.* A. *Quid itaq; admirabile uel alienũ uidetur, si opifex, et sapiens et potens, et omniũ rationes intelligens, in innumerabiles sectiones et partes cõminuta hominũ corpora, ex quatuor elemẽtis rursus ad aptam cõpositionẽ harmoniámq; deducit? Qui enim ea prius collegerat ac cõpegerat, et admirabilẽ quandã et aspectatu digniβimã tẽperaturã ex contrarijs sola uoluntate cõcinnauerat, ipse solutã harmoniã, in illa, ex quibus etiã cõpositus erat, reuocabit ad concordiã quæ dissolui non poterit. Hæc autẽ faciet magno ipsius nutu. An nõ omnia quę sursum et deorsum in medióq; sunt, diuina cõplexa est, apprehenditq; natura? et est extra uniuersum, et in uniuerso, et supra uniuersum: et nihil est diuina facultate uacuũ, supersubstantialiq; substantia quæ sola est infinita, et circũscriptionẽ non patitur. Qualitatis enim et magnitudinis expers est diuinitas, utpote incorporea.* B. *Maximè.*

rationes ignorat, uel eam quę ex unoquoq; elemento accipitur partē, & in idē rursus resoluitur. Atqui neq; qui potens est, ad dissoluta humana corpora, rursus cogenda erit impotens. Hoc quoq; considera. B. Quidnā? A. Hoc humanū semen, quod in mulieris matricē deijcitur, an nō dicis esse alicuius humiditatis guttulā? B. Certe. A. Quis ergò est, ò beate, qui breuē illā humiditatis et seri partē hominis corpus efficit, et animæ alligat, et facit animal ratione præditū, ac mortale, mentisq; & scientiæ capax? An non opifex? B. Maximè. A. Quid tibi ergo mirū uidetur, si qui & hîc, et post corporū dissolutionē, ac in quatuor elementa reditū, & corporū rationes, & ipsa etiā corporū semina nouit, eadē rursus reuiuiscere iubet? Ac sic quidē resurrectionē esse posse ostensum est. Audi autē deinceps et q̃ rationi consentanea. Primū quidē opifex, ut nihil eorū quę ab ipso facta sunt, sub mortis et interitus dominatione perpetuò teneatur, omnia esse uult, & bene esse, & semper. Deinde an nō tibi æquū uidetur, utanimę quę pulchrè hoc certamen peregerūt, et hoc stadiū cū corporibus cū quibus uixerūt, rectè percurrerūt, et īnumerabiles pro uirtute sudores sustinuerūt, prēmiū consequātur? B. Aequū et rōni cōsentaneū uidetur. A. Rursus autē quæ hanc uitā male administrarūt, et à uirtute quidē defecerūt, ab intēperātiæ autē et uoluptatū examine uictę sunt, et prægrauātis corporis pondus consequuntur, et deorsum à mala equa & ijs quæ in nobis sunt pedicis feruntur, et proprię immortalitatis supernęq; cognationis et primę illius et purę ac nō perturbatę imaginis sunt oblitę, cū corporibus cū quibus corrupti sunt in sacrū creationis carcerē ire, et Phlegethōtas, quos dicit Plato, et Cocytū trāsnare, quę quidē sacra ora

φόλκιον

cula, fluuiũ ignis, et uermen qui nõ dormit, et gehennã, et ęternã ignominiã, et custodiã, et punitionẽ, et eiusmodi appellat. B. Hoc quoq; iustũ uisum est. A. Age ò beate, absoluta est nobis disputatio. Nunc autẽ tẽpus est, ut mente ad preces cõuersa, huius uniuersi opificẽ et effectorẽ laudibus celebremus. O' Domine et huius uniuersi opifex, ò pater, et sermo, et Spiritus sancte. ò diuina Trinitas, et trina et sancta unitas, pater principij expers et ingenite: fili sine principio genite: spiritus à patre sine principio procedẽs: trinitas, quę modo ĩenarrabili ad unitatẽ reduceris: unitas, quę inexplicabili rõne adoraris et cõprehẽderis: trinitas ĩcreata, æterna et cõsubstãtialis, prima et beata natura, et eorũ quę sunt principiũ, exuberãs bonitas, et quę es id quod reuera est, cõcede nobis ut mentẽ illuminemus, et tua illuminatione ac cõtẽplatiõe dignã faciamus: ut purè quòad eius fieri poterit, quod purũ est attingamus, si fas est, & malos typos ac characteras ex animo deleamus: purã q; ac mũdã primã imaginẽ ostẽdamus, et nõ frustra magnũ tuę trinitatis unius Dei et sermonis aduẽtũ ac prę sentiã factã fuisse, et nostrę salutis gratia plurimos labores ꝑtulisse, per quę à peccatis liberati sumus, mõstremus. fac autẽ ut nostrę animę à uirtutis exercitatione nõ abhorreãt, sed ante corporũ solutionẽ meditentur, ut dũ uincula nostra soluãtur, nõ turbemur, et ne ad res humanas frequẽter cõuertamur, dis iũgi ęgreferẽtes. Des autẽ nobis, ut suppliciorũ multitudinẽ effugiamus, et nõ acerbũ exitũ sentiamus: sed supremas




Impressum Venetijs apud Nicolaum de Bascarinis.
Expensis uero Melchioris Sessæ.
Anno M. D. XLVI.

Cum Priuilegio Illustrißimi Senatus Veneti
in annos decem.